



1588.
1588.
1588.
1588.

GV
MARTINUS
1588



✓⁰⁵
2. Bde.

alt Nr. 127
ni 172

Sturmius, J.
quarta Antipappi etc.
4 portus in 2 vol.

nebst 17 anderen Schriften.

K. IV. 42.



DE
VERBO DEI
ET EIVS TRA-
CTATIONE

LIBRI DVO:

In quibus de Verbo Dei scripto & non scripto, de Scriptu-
ræ versionibus, de interpretatione eiusdem Scho-
lastica & Ecclesiastica, de methodo Theo-
logiæ, & de disputationibus Theo-
logicis agitur.

ADDDITA EST IN FINE METHO-
DICA DELINEATIO VNI-
uersæ Theologiæ.


AVTORE GEORGIO SOHN
THEOLOGIAE DOCTORE ET
in Academia Heidelbergensi
Professore.



HEIDELBERGÆ,
c13, 13. LXXXVIII,



9
ILLVSTRI ET GENE-
ROSO DOMINO, D. IOANNI
COMITI IN NASSAV, CATTENELN-
bogen, Vianden & Dietz, Domino in Beilstein &c.
Domino suo clementi.

 *VI* libros vel à se, vel ab alijs siue veteribus, siue recentioribus scriptos in quouis genere disciplinae, praesertim verò in Theologia, artis typographicae beneficio edunt, illustris & generose Comes, eorum quatuor sunt ferè ordines. Primus est eorum, qui libros non solum utiles sed etiam necessarios emittunt: Qui ut arte typographica rectè utuntur, & Ecclesiae atque reip. multum profunt, ita magnam laudem sanè merentur. Secundus eorum, qui libros non quidem necessarios, sed tamen non inutiles euulgant: qui ut minus profunt, quàm priores illi, ita minus laudis etiam merentur. Tertius est eorum, qui neque profunt, neque nocent scriptione sua, aut si profunt, tamen paucis profunt: qui ut reprehensionis nihil, ita laudis aliquid merentur. Quartus deniq; est illorum, qui nocent alijs siue pluribus siue paucioribus & arte typographica ad commodam Ecclesiae & reip. à Deo concessa, ad eiusdem perniciem abutuntur: Quorum imprimis haec aetas ferax est. Qui ut digni sunt odio & reprehensione omnium, ita magistratus autoritate sunt coercendi. Ac de his quidem omnibus JETIWC & generatim sine mentione personarum hoc modo expositis facile omnes inter se cõsentiunt: Sed cū ad singulos homines venit, mox variant iudicia & sententiae discrepant. Etenim nemo est hoc tempore, quo omnes passim scripturiunt & certatim libros edunt, & de quo illud Poetae imprimis usurpari potest: --tenet intanabile multos Scribendi cacoëthes &c.

A ij quin



4
quin se utilem Ecclesie & reip. nauare operã persuasum habeat:
Qua in re etsi multi de se rectè iudicant, tamen plerosque alios
ita fascinat auidia & ambitio, ut plus sibi arrogent aut ali-
ter sentiant quàm res ipsa aut pietas patiatur. Vtinam verò
magistratus modum statuatur, & præstantissime artis his
postremis temporibus ad instaurandas literas & religionem
diuinitus concessæ abusum inhibeat. Nam ut lingua ita ty-
pographia, quæ linguæ vicem gerit, optima est, si rectè, pesti-
ma verò, si temere usurpetur. Sed hic danda opera est, ut de ea
quisque arte & disciplina, quam profitetur & in qua versatus
est, iudicium ferat, nei d'usuueniat, de quo Anacharsis conque-
ritur dicens: λέγουσι μὲν οἱ σοφοὶ κρίνουσι δὲ οἱ ἀμαθεῖς. Nam ve-
rum est, quod vulgo dicitur: Eos demum de artibus rectè iudica-
re, qui earum sunt periti. Fit enim quo nescio modo, ut eorum qui
artem quampiam callent, sensus multò aliter sint affecti & ad
explorandum singula & ad ferendum iud. cium, quàm aliorum,
qui eiusdem sunt imperiti: de quo apud Alianum extat exem-
plum. Cum enim Nicostratus pictor eximius eò aliquando ve-
nisset, ubi in tabula erat Helena, opus nobilissimi pictoris Zeusi-
dis, & tum oculis tum animo in eius contemplatione defixus,
diutiusculè perstitisset, ac quidã qui interuenerat, ecquidnam ibi
tant opere admiraretur, rogasset: respondit, Non me, rogares, si
meos oculos haberes. Ego verò etsi mecum habito & meo me
pede metior, ac nemini magis quàm ipse mihi displiceo, & hoc
tempore in tanta scribentium copia tacendum potius quàm pu-
blice loquendum, vel si quid edere velis, in nonum annum, secun-
dum Poëtæ consilium, id est, donec maturitatem consequatur,
premendum esse censeo, præsertim quia ita fit hodie, ut de Theo-
logia τὰ θεολογοὶ quàm ἀθεολογοὶ iudicent: tamen ut aliquid in-
lucem exire paterer, amicorũ literis & admonitionibus me ad-
duci passus fui. Qui tamen si liberalius de me sentiunt, quàm aut
ego agnoscam, aut res ipsa ferat: tamen satis mihi fuerit, si in se-
cundo ordine de quo a te dixi, eoque postremo, locum inueniam.

Quod

Quòd si ne istic quidem locus concedatur, in tertio ordine me
constitutum confido. Sin autem amicorum persuasioni respon-
derit euentus, ut pluribus utilis sit labor meus, letabor, & Deum
grato animo colam. Primum autem hos libellos de Verbo Dei
& de eius tractatione, publicandos esse censui, quippe in quibus
generales præceptiones breuiter traduntur, & quasi fundamen-
ta ponuntur omnis futura tractationis. Deinde suo tempore
horum exempla adiungam, præsertim verò interpretationis
scholasticæ & ecclesiasticæ, & methodicæ explicationis vniuersæ
Theologiæ & disputationum. Methodum in his omnibus ad-
hibebo, quæ maximè consentanea & ad intelligentiam atque
memoriam accommodata mihi videtur, atque ita adhibebo, ut
rebus methodus non res methodo seruiant. Nam methodus, ut
Philosophia omnis, non dominari sed ancillari Theologiæ debet,
ita ut Theologiam non cogat sub iugum suum, aut violenter tor-
queat, sed ut ei humiliter se subiiciat, ac ministret. Quòd si qui
fortè morosuli hanc methodum fastidient, atque aliam potius à
me requirent, ab his ego vicissim postulo, & quidem iure postula-
re mihi videor, ut sicut ipsis sua methodo uti per me licet, ita
mea uti mihi vicissim per ipsos liceat.

Tibi autem illustris & generosè Comes hunc librum dicere
tuoque nomini inscribere volui, non tantum quòd nominis tui
autoritas ei multum gratiæ conciliatura videretur, sed etiam
quòd tu pro tua eruditione & erga literas ac literatos, præci-
pueq; erga Theologos amore de his rebus iudicare potes: in primis
verò quòd hoc periculoso tempore synceros Ecclesiæ Doctores &
ministros constanter foves & tueris, & aperta in ditione tua il-
lustris schola, illustrare & propagare synceram doctrinam studes,
denique quòd me singulari clementia & fauore prosequeris:
quem tueri meis studijs & officijs peruelim. Accipe igitur hoc
tenue mei erga G. I. studij testimonium, & deinceps mihi faue-
re, meq; fouere perge.

A ij Deum



6

*Deum opt. max. precor ut iram suam à nobis auertat & eam
in gentes quæ illum non norunt effundat, imprimisq; te tuæ illu-
stri familia & reip. atque Ecclesia, cuius studiosissimus es, diu in-
columnem conseruet. Data Heidelbergæ Calendis Mar-
tij Anno 1588.*

Tuæ illust. G.

addictissimus

GEORGIUS SORNA

DE



7
DE VERBO DEI

LIBER PRIMVS.



VM in tractatione Verbi Dei omne nostrum studium, & labor deinceps sit futurus, rem me non ingratam, non inutilem certè, Theologiæ studiosis facturum esse putavi, si primùm de Verbo Dei deinde de tractatione eius initio quædam exponerem, vt quid sequendum, & quò in studiorum cursu respiciendum esset, melius intelligerent.

Verbum Dei est, quod Deus per homines immediatè vocatos hominibus lingua & sermone pro ratione temporis maximè conueniente patefecit: vnde omnis vera Theologia imprimis de Christo Seruatore generis humani promanat. Vel, Verbum Dei est, quo omnis vera Theologia exponitur, per homines immediatè vocatos hominibus diuinitus patefactū. Ergo autor & efficiens est Deus, nempè Pater, Filius & Spiritus sanctus, sicut passim hoc verbo docetur: ac proinde autoritas huius verbi tanta est, & esse debet, quanta ipsius est loquentis Dei. Quare hoc verbum est principium & norma omnis veræ Theologiæ, & ἀντίμαχος atque irrefragabilis iudex, omnis quæ de rebus Theologicis suscipitur, controuersia. Cum hac quod consentit, verum, quod pugnat, falsum dogma sit, necesse est. Ac patefecit hoc verbum suum Deus per homines immediatè vocatos & miraculis claros, vt certo constaret afflatos esse diuinitus, & instructos, vt errare non possent.

Ac rursus tum per Prophetas, tum per Apostolos.

Prophetæ sunt, qui de rebus ad Ecclesiam aut regna mundi pertinentibus: imprimis verò de Christo vaticinantur:

A iiij nantur:



nantur: vel, qui sciunt arcana consilia Dei, & aliis exponunt, siue præsentia sint, siue præterita, siue futura.

Quorum sanè multi fuere, iique vel per Dei, Angelorumve colloquia, vel per visiones, vel per somnia, vel per Urim & Thumim, ad hanc rem edocti.

Apostoli sunt, qui historiam de Christo & rebus ecclesiæ tradunt, à Christo ipso vocati & edocti & Spiritus sancti visibili gratia & linguarum ac sanationis donis peculiariter ornati. Horum duodecim primùm fuere, Matthia substituto in locum Iudæ: quibus tandem accessit Paulus, Act. 9.

Porro hoc verbum duplex est ἀγραφοῦν & ἔσπραφοῦν.

Etsi enim per se verbum vnum idemque est, siue scribatur, siue pronuncietur: tamen ex accidenti sic distingui & considerari potest.

Verbum Dei ἀγραφοῦν est, quod viua voce sine scripto traditur & propagatur: Hebræis *Cabale*, Græcis *παράδωσις*, Latinis traditio dicitur.

Estque tum Propheticum tum Apostolicum.

Propheticum ante Mosen fuit. Nam ante illud tempus verbum Dei sine scripto viua voce cōseruabatur, & quasi per manus posteris tradebatur. Etsi enim fit mentio libri Bellorum Domini Num. 2. v. 24. & libri Iustorum, Iosua cap. 10. 13. & vaticinij Henochini Epistolæ Iudæ v. 14. tamen liber Bellorum non tam de religione quàm de rebus politicis & bellicis scriptus videtur: & ex libro Iustorum historia quæ sub Iosua accidit, allegatur: Denique vaticinium Henoch quod à Iuda adducitur, ἀγραφοῦν esse potuit, quemadmodum ex veteribus multi existimant.

Verbum Dei ἀγραφοῦν seu traditio Apostolica statim initio prædicationis Euāgelicæ fuit. Nam viua voce Apostolum passim in orbe terrarum, Euangelium de Christo protulerunt, lingua nota vnumquenque populū allocuti.

Verbum

LIBER PRIMVS.

Verbum Dei ἐξ ἁφ' οὐ est, quod Deus per homines immediatè vocatos, & Spiritu sancto afflatos tanquam amanuenses literis prodit: siue ipsi exarent, siue ab alijs exaratum comprobent: Vel, quod literis proditum est & libris continetur, siue ab hominibus immediatè vocatis exaratum sit, siue eorum voce, & autoritate comprobatum. Hęc scriptura sacra vulgo dicitur, quia diuinitus dictata res sacras continet. Hęc eadem pro cuiusque temporis ratione literis maximè vsitatis est prodita. Huius autoritas tanta est & esse debet, quanta ipsius est dictantis Dei. Ac proinde hęc scriptura, vt omne Verbum Dei, est Canon & regula omnis veræ Theologiæ, & iudex irrefragabilis omnis controuersiæ de religione, vt quicquid cum hac consentit, verum & rectum, quicquid pugnat, falsum & erroneum censeatur. Denique hęc scriptura libris cõstat, quos sacros & κατ' ἐξοχήν Biblia appellamus. Libri verò in capita, ac capita rursus in versus distinguuntur. Ergo Scriptura sacra est eiusmodi, qua nos hodie sola ferè vtimur, quia aut ignorantur veræ traditiones, aut in ipsa Scriptura iam expressè continētur, aut quæ veræ non sunt contrà Scripturam finguntur & inculcantur.

Hęc scriptura duplex est: Prophetica & Apostolica: Eodemque modo libri sacre Scripturæ alij Prophetici, alij Apostolici dicuntur: Ac rursus illi Veteris, hi noui Testamenti nominantur.

Scriptura Prophetica, seu libri Prophetici sunt, quos per Prophetas, tanquam amanuenses Deus exarauit & promulgauit, vsque ad Christi seruatoris aduentum in carnem. Quam Scripturam primùm exorsus est Moses, Nam antè ipsum non extiterunt libri sacri: aut si qui extiterunt, vt de Vaticinio Henochi nonnulli suspicantur, tamen Theologia seu doctrina de Deo & operibus Dei præcipuè viua voce sine scripto tradita & propagata est:

B Atque



Atque adeò ipse in hoc genere primus Dei amanuensis fuit, & quod à Deo dictatum est, in tabulas retulit, & literis cõsignauit. Cùm enim doctrina Cœlestis præsertim de Christo mediatore tantò magis semper illustraretur & augetur, quanto magis aduentus eius appropinquaret: contrà verò hominum memoria & studium in conseruandis oraculis diuinis & propagandis decresceret: Deus non solum ipse exarato Decalogo scripturam suis digitis quasi consecrauit, sed etiam Mosi librorum scriptionem expressè mandauit, Exod. cap. 24. v. 27. Qui de creatione rerum, de lapsu primorum hominum, de Patriarcharum doctrina & vita, quantum posteritati necessarium iudicauit, in Genesi breuiter comprehēdit, ac postea quæ voluit & dictauit Deus, reliquis libris exposuit. Quem secuti Prophetæ posteri similiter quæ Deus vellet & dictaret, literis prodiderūt, quod doctrina certis verbis comprehēsa promulgari, promulgata conseruari, collapsa instaurari, instaurata propagari, facilius posset. Nam vbi doctorum viua voce destituimur, libri vicem eorum suppleunt, & vbi vnus linguæ notitia nos deficit, translatio in aliam fieri potest. Et videntur Prophetæ tantum summas suarum cõcionum & præcipua capita ex quibus reliqua faciliè intelligi possent, literis consignasse & publicè affixisse, vt quæ viua voce ab ipsis tradita erant, percipi ab auditoribus rectius possent, sicut apparet ex Habac. c. 2. vbi ait Iehouah, scribe visionem & explana eam super tabula, vt qui transierit percurrat eam: & Esa. 8. v. 1. sume tibi librum magnum, & cap. 28. Item Ierem. 36. v. 6. & 45. 1. & 51. 60. Vnde fit vt partes librorum Prophetico- rum interdū non satis cohærere videantur. De quo etiam Origenes lib. 1. in Cantica Canticorum, & Hierony. in Ierem. cap. 21. & alibi annotauit. Hanc scripturam & hos libros Mosi & Prophetarum, postea sacerdotes in lateribus

bus arcæ Fœderis, rāquam in Archiuis, sicut Decalogū in ipsa arca, reposuerūt, vt ad posteros transmitteret. Deut. c. 31. 26. Iosua 24. v. 26. 1. Reg. 10. 28. Esa. 30. 8. Ezech. 13. 9.

Porro hos libros omnes Hebræi in quatuor partes diuidunt, vt Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis annotat, & secundum hanc partitionem etiam libros ordine disponunt. Prima pars continet legem: secunda Prophetas, quos vocant primos, tertia Prophetas quos vocant postremos: Quarta *ἀγιόγραφα*.

Lex cōstat quinque libris, vnde Hebræis dicitur *Chomesch*, Græcis *πεντάβιβλος*, nunc quinque libros Mosis vocant.

Libros singulos Hebræi à primis eorum vocibus denominant: Græci materiam librorum spectantes his nominibus appellant, *Γένεσις, Ἐξοδος, Λευιτικὸς, Ἀριθμοὶ, Δευτερονόμιον*: Græcos imitantur Latini, eorumque nominibus ferè vtuntur: Germani numeris tantum eos distinguunt. Prophetarum primorum libri sunt quatuor: Primus est liber Iehosua, Secundus liber Iudicum, Tertius Samuelis, qui apud nos in duos est diuisus, quorum alter primus, alter secundus Samuelis: Ille etiam à quibusdam primus, hic secundus regum dicitur: Quartus est liber Regum qui item apud nos in duos est diuisus, quorum ille primus, hic secundus Regum, à quibusdam etiam ille tertius, hic quartus Regum nominatur.

Prophetarum postremorum libri item quatuor: Liber Esaiæ, liber Ieremiæ, liber Ezechielis, quos nos vulgò annumerato etiam Daniele Prophetas maiores dicimus, & liber duodecim Prophetarum, quos nos Prophetas minores vocamus: quos in vnum volumen compositos esse & Hebræorum interpretes docent, & ex Act. cap. 7. v. 42. quadamtenus apparet.

Ἀγιόγραφα constant libris vndecim, quorū primus ab Hebræis *בְּרֵי הַיָּמִים* verba dierum, apud nos Græco no-



mine παραλειπομένων, item Chronicorum primus & secundus inscribitur, quos Esdras scripsisse vetustissimi Hebræorum putant: Secundus est liber Psalmorum: Tertius Prouerbia, vel potius Parabolæ Salomonis: Quartus Iob: Quintus Ruth: Sexus Ecclesiastes Solomonis: Septimus Lamentationes, seu Threni Ieremiæ: Octauus Cantica Canticorum: Nonus Ester: Decimus Daniel: Vndecimus Esdras cū quo Nehemiam, qui vulgò Esdræ secundus dicitur, coniungunt. Qui libri omnes, si simul numerentur, sunt 24. Itaque tot veteris Testamenti libros esse Hebræi omnes dicunt. Ex Græcis verò & Latinis scriptoribus nonnulli, vt Iosephus lib. 1. contra Appionem, Eusebius, item Melito atque Origenes apud Euseb. lib. 4. cap. 26. Hieronymus in prologo Galeato & in Epistola ad Paulinum, Cyprianus in expositione Symboli, Hilarius in prologo Psalmorum, & Concilium Laodicenum veteris Testamenti libros viginti duos esse affirmant, librum Ruth & Threnos Ieremiæ non seorsim, vt ab Hebræis fit, numerantes, sed priorem illum cum libro Iudicum, hunc cum Prophetia Ieremiæ connumerantes. Nunc is ordo in collocandis & disponendis libris Prophetis ferè seruat, quem in versione Græca, & veteri Latina, quæ Hieronymi esse iudicatur, videmus. Hi libri omnes idioma Hebraico, paucis exceptis capitibus & versibus nempe 2. 3. 4. 5. 6. & 7. capite Danielis, & 4. 5. ac 6. cap. Esdræ, & versu 11. cap. 10. Ieremiæ: In quibus Idioma Syriacum vel vt Hieronymus vocat, Chaldaicum, quamuis Hebraicis literis scriptum, usurpatur.

Qui præterea in veteri Testamento his vulgò adiunguntur libri, non sunt Prophetici & Canonici aut θεόπνεστοι, sed αὐθροπόπνεστοι, qui ad vtilitatem Ecclesiæ, non ad probanda fidei dogmata legi possunt. Itaque Ecclesiastici &

Apocry-

Apocryphi vulgò dicuntur; vt Sapiencia Solomonis, Ecclesiasticus seu Syracides, Iudith, Tobias, tertius & quartus Esdræ, Baruch, supplementum Esther, Oratio Manasse, supplementum Danielis, & duo libri Macchabæorum. Qui omnes non Hebraicè, sed vel Græcè vel Latinè extant: Latinè quidem quartus liber Esdræ; Græcè reliqui: quanquam alio Idiomate quàm Græco aut Latino initio scripti videntur. Nam librum Iesu filij Sirach & primum Macchabæorum Hieronymus se Hebraicos reperisse affirmat, in præfatione librorum Solomonis. Libros etiam Tobiaë & Iudith Chaldæo sermone scriptos extitisse suo tempore, & à se in Latinum sermonem conuersos esse idem dicit in præfationibus quas in eos libros fecit. Quartus liber Esdræ ex Hebræo quoq; translatus videtur, Nam & phrasin redolet Hebraicam, & Galatinus ex cap. 7. quædam Hebraicis verbis in opere suo allegat.

Scriptura Apostolica seu libri Apostolici sunt, quos per Apostolos tanquam amanuenses Deus exarauit & promulgauit post Christi aduentum in carnem, & ascensionem in cœlos: vel, quos Apostoli post aduentum Christi in carnem & ascensionem in Cœlos, Deo dictante de Christo exararunt & promulgarunt. Deo dictante Apostolos scripsisse libros suos ex eo constat, quòd in illa prima Epistola quam è primo illo concilio Hierosolymitano communibus suffragiis ad Ecclesias ex gentibus collectas miserunt Apostoli sic scribunt: Visum est Spiritui sancto & nobis Act. cap. 15. & quòd in Apocalypsi Ioanni aliquoties mandat Deus, vt scribat Ecclesiis Apocal. cap. 2. & 3. & quod Irenæus lib. 3. cap. 1. Apostoli, inquit, doctrinam Euangelij per Dei voluntatem literis consignarunt.

Quemadmodum autem Prophetæ in veteri Testamento de Christo exhibendo vaticinia, sic Apostoli de Christo exhibito historiam scripserunt & vaticiniorum

B. iij illorum



illorum impletionem ipsis presentium euentorum ad
 rumque narrationibus & applicationibus demonstrarunt.
 Itaque sicut vetus Testamentum est fundamentum & ve-
 luti fons Noui: ita Nouum est veluti complementum
 Veteris. Et sicut Vetus fidem facit Nouo: sic vicissim No-
 uum fidem affert Veteri, velamen eius detrahens, & sco-
 pum ac finem eius quasi digito monstrans. Quod Chri-
 stus pulchra similitudine expressit Ioan. cap. 4. v. 36. do-
 cens Prophetas sementem fecisse, Apostolos autem ma-
 turam segetem demetere, & triticum excutere, & velu-
 ti in horrea comportare: atque adeo doctrinam Prophe-
 tarum instar sationis: Apostolorum vero instar messis esse.

Sed enim plura pro re nata dixisse & fecisse Christum,
 & conciones longè vberiores & ampliores habuisse quam
 Apostoli literis mandarunt, minimè dubitandum vide-
 tur. Nam quæ ille & quàm multa tribus illis annis quibus
 ministerio suo functus est priuatim in ædibus, in cõuiuiis,
 in itineribus, quàm multa publicè ad plebem, ad Phari-
 sæos, in vrbe, in templo, in Synagogis, in agro, in deserto,
 in mari è nauibus, die & nocte, admirabili & stupèdo stu-
 dio & labore pro sua in omnes beneuolentia & beneficen-
 tia dixit, fecit, docuit, disputauit, ante & post resurrectio-
 nem suam. Itaque sic Ioannes Euangelij sui cap. 20. v. 30.
 multa, inquit, alia signa fecit Iesus in Discipulorum suo-
 rum conspectu quæ non sunt scripta in hoc libro, & simi-
 liter cap. 21. v. 25.

Eodem modo Apostolos ipsos præsertim Paulum plu-
 ra pro re nata dixisse & fecisse quæ Actis illis Apostolicis
 & reliquis libris continentur, nemini dubium esse potest.
 Sed hos libros & in his tantum, quantum Ecclesiæ, quan-
 tum posteritati ad dogmata & mores sufficeret, Spiritu
 sancto dictante scripserunt, sicut iterum testatur Ioannes,
 cap. 20. vers. 31. dicens: Hæc autem scripta sunt vt credatis
 Iesum

Iesum esse Christum &c.

Scripturę Apostolicę partes sunt item quatuor, Euangelia, Acta Apostolica, Epistolę, & Apocalypsis.

Euangelia Christum seruatorem toties antea promissum, tam diu à populo Dei expetitur & expectatum, iam tandem exhibitum esse annunciant: Vel, Euangelia historiam de Christo exhibitam, hoc est, de persona, ortu, ministerio, passione & resurrectione Christi dudum promissi exponunt, vsque ad eius ascensionem in cœlum. Paulus sic definit: Euangelium est doctrina à Deo per Prophetas in sacris literis promissa de filio Dei facta à semine Dauid secundum carnem, declarato Filio Dei potenter secundum Spiritum sanctificationis per resurrectionem à mortuis, ad Rom. cap. 1.

Euangelia sunt quatuor, nempe Matthæi, Marci, Lucę & Ioannis.

Matthæus Apostolus primus omnium autoritate Apostolica anno à resurrectione Christi octauo, vt Athanasio & Theophylacto placet: vel vt Irenęo & Eusebio videtur, cū Paulus iam Romę Euāgelizaret, hoc est, anno à resurrectione Christi 21. Euangeliū suū scripsit in Iudęa, & Iudęis reliquit, cū ad gentes prædicatum proficisceretur.

Marcus Petri Apostoli discipulus Euangelium suum Petro dictante scripsit, vt Nicephorus dicit libro 2. cap. 45. Vel vt alij volunt, rogatu fratrum Romę Euangelium suum scripsit; quod Petrus vidit, & sua autoritate comprobauit. Sic enim Clemens Hypotypos. libro 6. & Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, & Papias Hierosolymitanus referente Eusebio lib. 2. Quamquam Irenęus ab his dissentit post obitum Petri & Pauli Marcum edidisse Euangelium suum, scribens lib. 3. cap. 1. Quod vt verum sit, tamen Ioannes Apostolus hoc Euangelium comprobauit, atque ad eò autoritatem Apostolicam

licam ei circumdedit, vt paulò post dicitur.

Lucas Apostolorum item discipulus, ex traditione eorum qui ab initio spectatores & ministri Christi fuerunt, Euangelium suum scripsit, audita magis quam visa narras, quemadmodum ipse in proœmio affirmat. Quidam putarunt Paulum, cum dicit secundum Euangelium meum, Rom. 2. vers. 16. & post ad Timot. cap. 2. v. 8. hoc Euangelium Lucae significare, vt in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymus testatur.

Ioannes Apostolus postremo loco suum Euangelium scripsit: qui cum trium præcedentium Euangelia vidisset, approbavit, & veritatis testimonium eis dedit. Sed quod in his quædam, quæ initio prædicationis Dominus gesserat, deessent, & Cerinthus atque Ebion iam tum Deitatem Christi negarent, rogatus ab episcopis Asiae suum Euangelium adiecit, vt Christi Deitatem assereret, quemadmodum testantur Euseb. lib. 3. cap. 24. & Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum: Atque ita quasi colophonem Euangelii imposuit, quemadmodum ex vltimo eius capite apparet.

Itaque vt Euangelia Marci & Lucae aliunde non haberent autoritatem Apostolicam & Canonicam: tamen ex hoc Iohannis testimonio & approbatione habent. Hæc quatuor Euangelia Irenæus vetustissimus scriptor, quem alij postea secuti sunt, comparat cum Cherubim, quæ quatuor animalium Leonis, Vituli, Hominis, & Aquilæ capita habere dicuntur Ezech. cap. 1. v. 10. & cap. 10. v. 14. Quamquam alij ad Apocalypseos capitis quarti versum septimum respiciunt. Ac Matthæum quidem Irenæus similem esse dicit homini, quòd ab humanitate Christi, Marcum Aquilæ quod à prophetico spiritu ex alto veniente, Lucam vitulo seu boui quòd à Zacharia sacerdote sacrificante, Ioanem leoni, quòd ab æterna generatione & gloriosa Deitate

Deitate Christi Euāgelium suum ordiatur. Hieronymus tamen ordine inuerso Marcum Leoni, Iohannem Aquilę volanti comparat, quod ille à prædicatione Iohannis in deserto, quæ quasi rugitus Leonis fuit, hic velut Aquila supernubes volans & lucem incommutabilis Deitatis acutissimis & firmissimis oculis cordis intuens, à rebus sublimibus & cœlestibus nempe à Deitate Christi ordiatur. Alij vero Leonem in Matthæo, & hominem in Marco intelligunt, quòd Matthæus regiam personam Christi magis commendet: Nam secundum Matthæum & Magi narrantur venisse ab oriente ad quærendum & adorandum regem Christum, & ipse Herodes regem Christum formidat infantem, atque vt eum necare posset, tot paruulos necat: Marcus verò ea quæ homo Christus fecit potissimum commemorat.

Sed cur eandem historiam quatuor diuersis libris exposuerunt Euangelistæ: cum satis videri possit vno scripto totam hanc de Christo historiam expositam fuisse? Respondetur, Procul dubio à pluribus narrari historiã Christi Spiritum sanctum voluisse, vt tanto magis fidem hominibus faceret, de historiæ certitudine & veritate, ob eandemque causam, teste Chrysoſtomo, eorum scriptiones adeò à se inuicem diuersas esse voluisse, licet in capite & scopo conuenirent, ne quis diceret aut suspicaretur eos vel conuenisse vel cōspirasse inter se, vel posteriores priorum narrationem gruum cæcorumque instar secutos esse, vt plerunque Ethnici historici faciunt. Quanquam & illud veteres monent, cum duplices sint testes, alij oculati, alij auriti, Spiritum sanctum in hac re omnium maxima duos oculos Matthæum & Iohannem & duos auritos Marcum & Lucam adhibere voluisse.

Acta Apostolica de rebus gestis Apostolorum, id est, de

C mini-

ministerio Apostolorum & plantatione ecclesiarum ab ascensione Christi vsque ad annum eius 60. Lucas exaravit vt ex principio actorum apparet: Exarata deinde Apostoli, vt credibile est, viderunt & approbarunt: Certè pro veris & canonicis in primitiua illa Ecclesia semper habitata esse Eusebius testatur lib. 3. cap. 25.

Epistolæ ab ipsismet Apostolis exaratae de dogmatibus & moribus pro re nata cōtinēt: Sunt q̄; hæ, videlicet Pauli quatuordecim, Iacobi maioris filij Zebedæi vna, Iudæ Thaddæi item vna, Petri duæ, Ioannis tres.

Apocalypsin Ioannes Apostolus de futuro Ecclesie statu ferè vsque ad finem mundi exaravit, vt sentiunt Iustinus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Basilus, Cyrillus, Hieronymus, Epiphanius & alij.

Ergo hi sunt libri Apostolici & Canonici noui Testamenti quos veteres agnouerunt, qui si omnes simul numerentur, sunt 27. ac omnes Græcè hodie extant, ab initio sic editi ab autoribus suis præterquam Euangelium Matthæi, quod ab ipso Hebraicè, siue Hebraica vetus, siue noua illa ex veteri non nihil deflexa, id est, Syriaca & tum temporis vernacula fuerit, sicut ex vocibus Syriacis quæ passim occurrunt colligi potest, scriptum, Ioannes Apostolus, vt Theophylactus refert, Græcè vertit: Et Epistola ad Hebræos quæ item Hebraicè à Paulo scripta est, vt Eusebius & Hieronymus putant, & à Luca vel Clemente in Græcam linguam conuersa: Denique Euangelium Marci quod cum Græcè initio scriptum esse omnes ferè senserint, nunc Postellus & alij non Græcè sed Latinè initio scriptum esse ex Syrorum auita eaque constanti traditione affirmant.

Porro horum librorum omnium duplex est conditio. Nam alij sunt de quorum autoribus nunquam est dubitatum, in veteri Ecclesia: alij verò de quorum autoribus est

est aliquando dubitatum: quamuis in Ecclesia publicè legeretur, & doctrinæ Apostolicæ autoritatem ferè apud omnes obtinerent.

Posterioris generis sunt epistola ad Hebræos, epistola Iacobi, epistola Iudæ, posterior Petri, secunda & tertia Ioannis, Apocalypsis Ioannis: Alterius generis sunt reliqui libri omnes.

*Hæc de verbo Dei ἐξ ἁγίων seu de Scriptura sacram
Prophetica tum Apostolica.*

Sed enim quæritur vnde nobis constet hodie Deum autorem esse horum librorum, eosque per Prophetas atque Apostolos tanquã amanuenses conscripsisse, & quod in eis traditur sic gestum atque factum esse. Enimvero Deum huius scripturæ autorem esse certo constare oportet. Nisi enim Deum autorem esse constet, nunquam acquiescet sed perpetuo fluctuabit conscientia, & fides omnis euanesceat. Fides enim non hominis, sed Dei verbo nititur, & in eum solum dirigitur cuius est immota veritas: Conscientia non hominis sed Dei voce regitur, & ab eo vno pendet qui est conscientiæ Dominus.

Vnde igitur hodie constat hos libros à Deo profectos & diuinitus dictatos Prophetis & Apostolis, & doctrinam eorum sic miraculis confirmatam esse? Respondeo partim ex testimoniis, partim ex argumētis, iisque tum internis tum externis. Internis testimoniis videlicet Spiritus sancti intus animum nostrum alloquentis, & hos scripturæ libros *θεοπνεύματος*, id est, à se dictatos esse Spiritui nostro dictantis & quasi obsignantis. Nam qui sunt Filij Dei, & Spiritum eius habent, illi eiusdem Spiritus interno lumine illustrati & arcano testimonio persuasi certo certius credunt diuinitus dictatum esse quod in libris continetur, & tales etiam hos libros à nothis atque adulterinis, cuiusmo-

di multi olim in primitiua Ecclesia tanquam ab Apostolis scripti circumferebantur, & Ecclesiis obtrudebantur, spirituali iudicio discernere, & an Spiritum Dei redoleant, diiudicare possunt. Nam qui habent Spiritum Dei facile agnoscunt vim Spiritus illius, sicut dicitur 1. Cor. 2. Spiritualis homo omnia diiudicat.

Externis testimoniis rursus tum piorum tum impiorum.

Piorum, videlicet in Ecclesia quasi de manu in manu acceptis libris testificantium, & doctrinam ab istis autoribus immediatè vocatis profectam, & sic miraculis confirmatam esse ostendentium. De veteri Testamento primum testata est Ecclesia in populo Iudaico vsque ad Christum, sicut refert Iosephus lib. 1. contra Apionem: deinde testati sunt Christus & Apostoli, hos libros vt Propheticos & Canonicos in concionibus suis allegantes.

De vtrisque, id est, veteris & noui Testamenti libris testantur accepto à primitiua Ecclesia testimonio, ex Græcis quidem, Melito, Origenes & Eusebius: ex Latinis Cyprianus, Hieronymus, Hilarius, & alij vsque ad hanc ætatem. Nam primitiua Ecclesia, quæ tempore Apostolorum aut non longè post illud tempus fuit, testificationem quasi per manus traditam sequens Ecclesia ceu custos ac testis conseruauit, & ad posteros transmisit.

Impiorum: videlicet extra Ecclesiam, ac rursus tum Iudæorum, tum Ethnicorum.

Iudæorum, dum nimirum omnes Propheticos pro *ἱεροῦ* & Canonicis agnoscunt: dum Iesum Christum & sapientia & inauditis miraculis celebrem fuisse, & occisum à populo tertia die resurrexisse scribunt, vt Iosephus lib. 18. cap. 4. Antiquitatem Iudaicarum: dum claudos à Iesu sanatos, leprosos pristino vigori restitutos, & mortuos resuscitados esse publicè quamuis inuiti fatentur. Et si autem per quam nescio superstitionē vocis Schemhamphoras

phoras hæc miracula edita esse cauillantur, ne veritati locum dare, & hunc Christum agnoscere cogantur, tamen quæ superstitione aut quæ incantatio paralytico 38. annorum subito omnium membrorum robur ac vigorem, homini ab utero matris cæco visum, filiaë Iairi defunctæ, filio viduæ iam iam sepeliendo, Lazaro iam sepulto & in sepulchro fætere incipienti vitam restituere, quinque panibus & duobus piscibus 5000. hominum pascere, fluctus sæuientis maris vno verbo compescere, aquam in vinum conuertere, solem in ipso pleni lunij tempore præter naturæ ordinem & Christo iam mortuo obscurare, petras findere, terram concutere, sepulchra mortuorum aperire, mortuum Christum in vitam reuocare, & in cœlum eleuare, Spiritum sanctum super Apostolos demittere, & homines rudes scripturæ intelligentia, & linguarum omnium, quæ sub cœlo sunt, notitia repente imbuere potuisset?

Ethnicorū, vt Suetonij in vita Vespasiani testificantis quod constans & vetus opinio totū orientem peruasit, de regno nouo ex Iudæa in orbem terrarum dilatando.

Hæc de testimoniis: Iam ex argumentis etiam concludi de scripturæ autoritate potest, vt quod est antiquissima vel ipsorum Ethnicorum testimonio, quemadmodum Iustinus Martyr in Apologetico suo ad gentes pluribus demonstrat. Deinde quòd vaticiniorum euentu & complemento comprobata, vt de vocatione gentium, de abiectiōe Iudæorum, de deletionē regni Iudaici, de excidio vrbis & templi, & perpetuo exilio huius populi, de quatuor Monarchiis, de Antichristo & regno, doctrina miraculis, ac sede eius, de prohibitionē ciborum, & cōiugij. Quæ omnia multis seculis post euentus, qui neque humana perspicacia, neque ex causis vel signis naturalibus præsciri, imò ne quidem alterius causæ nisi eius quæ &



genus humanum, & rerum naturam vniuersam in sua potestate habet, vi & facultate effici potuissent, manifestè comprobarunt.

Tertiò quòd est maiestatis plena, quamuis sub inculta & quodammodo contemptibili verborum simplicitate & humilitate.

Quartò quòd sine vllò verborum lenocinio efficax est in animis hominū quorumuis maximorum, mediorum & infimorum, literatorum & illiteratorum, idque tum in conuersione, tum in rebus aduersis. In conuersione, quòd arcana vi hominem intrinsecus ita afficit & mouet, atque ita totum transformat, vt quasi nouus homo videatur. In rebus aduersis, quòd viam & firmam consolationem in animis hominum, etiam infirmarum muliercularum & puerorum accendit, vt omnia tādē huic doctrinæ postponant, neque vllò suppliciorum genere, ac ne ipsa quidem morte se ab illa diuelli patiantur, vt in martyriis apparet.

Quintò quòd inuisa est Satanæ & mundo, qui alias doctrinas omnes quantumuis absurdas & impias ferre possunt, aduersus hanc autem extrema quæuis moliuntur & agunt.

Sextò quòd inuicta aduersus Satanæ & mundi furores perstat, & mirabili successu triumphat sine vi externa, sine armorum præsiidiis, sine humana sapientia & eloquentia. Et quamuis cū naturali hominis ratione & voluntate pugnet, ea videlicet requirens, quæ corruptæ naturæ hominis maximè aduersantur: tamen hominis rationem & voluntatem sibi conciliat & planè subiicit. Et quò magis eam prohibere Satan conatur, eò maiores vires sumit, & latius serpit. Denique nisi Deo ingratitude hominum puniente amittatur, nulla humana vi aut consilio euerti potest, sed omnem vim humanam & omne consilium

lium ipsa euertit & destruit: quemadmodum tum martyrum intrepida & plusquam humana fortitudo & constantia, tum impiorum persecutorum & hæreticorum funestus interitus testatur.

Hæc de testimoniis & argumentis quæ vt sunt dissimilia, ita etiam vsum dissimilem habent. Nam maximi momenti est internum testimonium ad persuadendam scripturæ sacræ certitudinem.

Externa testimonia & argumēta eos qui internum testimonium habent partim erudiunt, partim confirmant tanquam adminicula humanæ imbecillitatis. Eos autem qui interni testimonij expertes sunt, partim inuitant ad huius scripturæ considerationem, partim conuincunt & refutant, vt à contemptu, à calumniis & blasphemis contra hanc doctrinam sibi temperent.

DE TRACTATIONE VERBI DEI.

LIBER SECVNDVS.

HACTENVS de verbo Dei, imprimis autem verbo scripto, quo nos solo hodie ferè vtimur. Nūc de eius tractatione pro hodierno temporis statu, breuiter dicemus.

Tractatio verbi Dei scripti suscipienda est cum inuocatione nominis diuini. Iac. i. v. 5. Nam sancta sanctè tractanda.

Finis summus est gloria Dei, proximus utilitas hominum. Quare sic est omnis moderanda, & temperanda scripturæ tractatio, vt & gloria Dei illustretur, & homines, alijs quàm maximam utilitatem inde capiant.

Tra-

Tractatio ista porrò duplex: διδακτική & ἐλεγμική seu πολεμική.

Tractatio scripturæ διδακτική est qua simpliciter scripturæ sensus exponitur, eaque rursus duplex: ἐξηγητική seu ἰσορική, & μεθοδική.

Ἐξηγητική seu ἰσορική est qua sacrae Scripturæ libros aut librorum partes, pro re nata interpretamur.

Interpretatio illa tum verborum, tum rerum.

DE VERSIONIBVS SCRIPTVRÆ.

Interpretatio verborum est in versione seu translatione sacrae Scripturæ: cum videlicet scripturam è lingua natiua in aliam magis notam conuertimus.

Versione librorum opus est, hoc est, vertendi sunt libri sacri è lingua natiua minùs nota in alias notiores, tum quia natiuæ illæ linguæ nobis hodie non sunt vernaculæ, nec ab omnibus studio & arte cognosci possunt, tum quia vult Deus vt libri isti ab omnibus cognoscantur & legantur. Atque ideò Prophetæ & Apostoli vel Hebraicè, vel Græcè scripserunt, quòd istæ linguæ iis quibus scriberent notæ essent, & ab eis intelligi possent. Constat etiam in Ecclesia Christiana primis temporibus sata & plantata fuisse interpretes qui idiomata & linguas explicarent 1. Cor. 14. v. 27. & 28. & διδασκάλους, quorum interfuisse puto maximè linguas docere & veram librorum Prophetorum & Apostolicorum interpretationem retinere, Eph. 4. quibus, succrescente Ecclesia, alij successerunt. Quapropter inde ab infantia Ecclesiæ ad hanc decrepitam senectutem magna seges talium interpretum fuit: quanquã bona pars istorũ vetustate & iniquitate tẽporis extincta est: imprimis verò hæc nostra ætas tales multos tulit.

Versiones istæ rursus vel separatim vel coniunctim considerantur.

Versio

Versionum separatarum alia vetus, alia noua.

Vetus iterum scripturæ alterutrius vel vtriusque. Alterutrius, nempe Prophetica, vel Apostolica.

Vetus versio scripturæ Propheticae est Chaldaea, & Graeca.

Versio Chaldaea est, quæ Targum Chaldaeis, nobis Paraphrasis Chaldaica dicitur. Targum autem est triplex: Babylonium, Onkelosij, & Hierosolymitanum. Targum Babylonicum videlicet à Ionatha Utzielis filio, Hillenisque auditore, & Simeonis Iusti, qui infantulum Christum in brachiis suscepit, condiscipulo, factum, ante natum Christum annis circiter quadraginta duobus. Cuius tanta est autoritas apud Iudæos, ut ei non minus fidei quam ipsi textui adhibeant. Targum Onkelosij videlicet ab Onkelos profelyto, quem Hebræi sororis Titi Imperatoris filium fuisse asserunt, elaboratum. Huic non minus etiam Iudæi tribuunt quam Versioni Ionathæ. Vtrunque characteribus Hebraicis scriptum hodie reperitur. Targum Hierosolymitanum postremum videtur, quod nonnulli aiunt Syriaco idiomate scriptum esse, & à Targo Chaldaico Ionathæ, & Onkelosij, locutionibus, & sensu nonnihil discrepare.

Versio Graeca alia ante, alia post natum Christum. Antequam natum Christum fuit primum versio illa, cuius meminerunt Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum & Eusebius de præparatione Euangelica lib. 13. cap. 7. Deinde Versio 72. interpretum, quam edicto Ptolomæi Philadelphii regis Aegypti septuaginta duo doctissimi viri ex Iudæa oriundi & ad regem hoc nomine ablegati, ex lingua Hebraica, cellulis quidem diuisis, sed tamen calamis in eandem sententiam conspirantibus, adornarunt, ut à multis non infimæ notæ scriptoribus affirmatur, annis ante Christum 330. ut Epiphanio, vel 280. ut Eusebio & Iosepho

D Iosepho

Iosepho placet. Quam versionem tanti fecerunt Apostoli, ut quoties autoritates veteris Testamenti adducunt, eam sequantur, præter vnum Matthæum, qui ut in vita eius testatur Hieronymus, ubicunque siue ex sua, siue ex Domini saluatoris persona, veteris scripturæ vitur testimoniis, non sequitur 72 autoritatem, sed Hebraicam veritatem. Cuius rei hæc videtur esse causa, quòd Matthæus ad populum Hebræum Hebraicè, reliqui verò ad gentiles Græcè scripserunt. Vtrum autem libros Mosis tantum, an verò libros omnes veteris Testamenti, isti 72 interpretes conuerterint, non cõuenit inter eruditos, quibusdam tantum Mosis libros ab eis conuersos esse existimantibus, ut Iosepho, Aristæa, & omni schola Iudæorum, sicut Hieronymus testatur: quibusdam omnes veteris testamenti libros ab eis translatos esse opinantibus, ut Irenæo, Augustino & aliis. Post Christum natum extitit versio Aquilæ, Theodotionis & Symmachi, quorum quisque peculiarem fecit, & in lucem edidit.

Sed enim è versionibus istis Græcis hodie vna tantum superest, de qua quæritur, sive 72 interpretum, an Theodotionis, aut Aquilæ, aut Symmachi. Quidam enim non 72 interpretum, sed Theodotionis vel Aquilæ, vel Symmachi esse putant, quia toties ab Hebraica veritate discedit, præsertim in Prophetis. Nam Mosis libri sunt puriores & fontibus viciniore, ut & Hieronymus testatur in præfatione Quæstionum Hebraicarum ad Genesin. Alij autem 72 interpretum esse sentiunt. Et sanè sententiæ à Paulo ex veteri Testamento citatæ satis ostendunt, eam tunc in Apostolorum manibus fuisse. A textu autem Hebræo, quem nos hodie terimus, sæpè discrepare illi existimant, tum quòd sine punctis legerint, quæ nos & punctis distincta habemus, & quod ad salutem attinet, omnia & integra, tum quod non habuerint tantum lucis in intelligendis

gendis & vertendis libris sacris ante Christum natum, quantum nos hodie habemus, postquam ipse sol iustitiæ exortus est: tum quod in Græca versione librariorum negligentia & inscitia multa loca deprauata esse videantur: veletiam quod Ptolomæo regi mysteria quæque in scripturis sacris prodere noluerint, & maximè ea quæ Christi aduentum pollicebantur, ne videretur Iudæi, & alterum Deum colere, quos Rex Platonis sectator ideo magni faciebat, quòd vnum Deum colere dicerentur, vt Hieronymus scribit in præfatione quæstionum Hebraicarum, vel vt idem scribit in præfatione ad Pêrateuchum, quod vbiunque sacratum aliquid scriptura testatur de Patre, Filio & Spiritu sancto, aut aliter interpretati sint, aut omnino tacuerint, vt & regi satisfacerent & arcanum fidei non euulgarent.

Vetus versio Scripturæ Apostolicæ seu noui Testamenti tantum est Syriaca & Arabica. Versio Syriaca hoc nostro seculo quo cuncta renasci videmus, à Syris, quibus diu in vsu fuit, ad nos peruenit, vt iam in Europa nouum Testamentum, excepta epistola Iacobi, non tantum Latinè & Græcè, sed etiam Syrorum lingua Seruatori nostro vernacula legi possit. Hanc autem versionem Syri à quibus accepimus, à Marco Petri discipulo factam esse ex maiorum traditione constanter asserunt.

Versio Arabica nescio à quo & quando scripta etiam reperitur, sed adhuc minùs frequentatur in Germania. Sunt tamen viri docti qui circa hanc linguam & versionem occupantur. Optandum sanè esset nobis & cognitionem huius linguæ maiorem & vsum frequentiore esse: optandum, concilium Viennense in quo ante annos 250 à trecentis episcopis sancitum fuit, vt in publicis scholis, quas Academies vocamus, præter alias linguas etiam Arabica doceretur ad propagandam religionem

D ij Chri-



Christianam, & ad reuocandos in viam rectam salutis & lucrificandos Saracenos & alios infideles, eiusque linguæ professoribus honorifica stipendia decernerentur, effectum aliquem fortiri. Ita enim campus seminandi verbi Dei longè latèque pateret, sperandumque esset breui magnam ad Christianismum accessionem futuram esse. Nam quanta nunc huius linguæ amplitudo sit & quàm latè eius pateat vsus, Postellus & alij qui eius discendæ gratia peregrinati sunt, testantur. Nulla lingua, inquit Postellus, hodie nec vsquam olim in tot partibus orbis locum habuit. Et iterum, lingua Arabica omnibus religionis Mahometicæ cultoribus Grammatica est, quæ latius patet hodie quàm vlla vnquam lingua, vt vix tertia pars habitati orbis eam non agnoscat.

Vetus versio vtriusque scripturæ, id est, Propheticæ & Apostolicæ est Latina: cuius multa genera iam olim existisse docet Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 11. & 12. vbi ait: Qui scripturas ex Ebræa lingua in Græcam verterunt numerari possunt, Latini autem interpretes nullo modo. Et Hieronymus in præfatione in Iosue, inquiens: Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot codices, cum vnusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est.

Ex omnibus verò vna remansit, & adhuc trita est in ecclesia, quæ vetus translatio & vulgata editio dicitur. Quæ etsi Hieronymi esse à multis putatur: tamen alij sunt qui dubitant an Hieronymi sit, cum toties ab Hebraica veritate, cuius non ignarus fuit Hieronymus, discedat, & tot vitiiis referta sit, dum iam transpositum, iam omissum, iam immutatum aliquid, iam quod margini ascriptum fuerat, textui admistum est: putant quæ ab aliquo Latino linguæ Ebrææ imperito siue Ruffinus ille, siue alius quispiam fuerit, ex Græca illa versione cui plerunque responderet, factam

ctam, & cultiori stylo adornatam esse: Aut si sit Hieronymi, tamen ab aliquo Hieronymi æmulo emendatam, & Hieronymi nomine publicatam, librariorumque negligentia & inscitia depravatam esse. Hanc tamen pontificij vnam agnoscunt, & in lectionibus, disputationibus & concionibus authenticam esse volunt, vt in Concilio Tridentino videre est: cuius diuersæ editiones, aliæque aliis correctiores & emēdatiores hoc tēpore prodierunt. Nā in hac emendanda multi laborarūt & adhuc laborāt.

Hæc de veteribus versionibus. Nouæ versiones non ita pridem extiterunt, illam veterem Latinam longo interuallo insecutæ, & in omnibus ferè linguis Europæ factæ, vt passim ab omnibus populis Biblia legi possint, imprimis autē in lingua Latina & Germanica. Versiones Latine sanè sunt multiplices. Nā efflorescentibus literis humanioribus & linguarum studiis, vndiq; nouorū interpretum agmina prouolarūt. Versiones illæ Latinæ rursus vel alterutrius vel vtriusq; scripturæ. Alterutrius hoc est Prophetiæ vel Apostolicæ. Prophetiæ, vt Mūsteri, Tremelij & Iunij: Apostolicæ, vt Erasmi, Bezae & aliorū. Vtriusq; scripturæ, vt Pagnini ex Hebræa & Græca veritate. Versiones Germanicæ vtriusque scripturæ, vt Lutheri & aliorū.

Haftenus de versionibus separatis. Nunc de versionibus coniunctis seu coniunctim propositis, quæ similiter veteres vel nouæ. Veteres vt in Hexaplis & Octaplis exemplaribus Origenis. In Hexaplis exemplaribus primum textus Hebraicus tum Hebraicis tum Græcis literis scriptus: Deinde 72 interpretum, Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis Græcæ versiones fuerunt.

In Octaplis exemplaribus præter hæc adhuc duæ aliæ versiones Græcæ incertorum autorum fuerunt, quarum alteram quintam, alteram sextam editionem nominant, & illam in Hierichunte circiter annum Christi 215. hanc



in Nicopoli Orientali circiter annum 225. inuentam esse perhibent.

Nouæ, vt in opere Complutensi, & in opere Hispanicobibliorum. Opus Complutense post decretum concilij Viennensis de linguarum Latinæ, Græcæ, Hebrææ, Chaldææ & Arabicæ studio in Academiis instaurando, Franciscus Ximenius Toletanus Archiepiscopus in Hispania & Cardinalis, & Complutensis Academiae institutor, incredibili sumptu sex tomis edidit anno Christi 1515. ita vt in veteri Testamento textum Hebraicum & paraphrasin Chaldaicam cum totidem versionibus Latinis: in Nouo textum Græcum cum versione Latina collocaret: Pontifex autem Leo X. magnificis priuilegiis muniuit & omnibus maximoperè commendauit. Quod opus cum causam præberet doctis diligentius scrutandi textum bibliorum, qui prius in situ & puluere iacuerat, & fontes ipsos perspiciendi: simul lux Euangelij quasi ex tenebris prorupit, & intra paucos annos, quod Curia Romanæ vehementer dolet, quodque futurum esse ac perfici posse Clemens Papa & patres concilij Viennensis & postea Cardinalis ille Ximenius neque animo cogitare, neque prædicenti credere potuissent, longè lateque in amplissimas regiones est propagata. Itaque hoc opus Complutense videtur vnum fuisse ex instrumentis illis seu mediis quibus Deus hoc postremo mundi seculo doctrinæ cœlestis puritatem in lucem reuocare voluit. Estque digna consideratione admiranda Dei sapiëntia & prouidentia, quòd hoc instrumentum à Cardinali Papistico & quidem immani pecuniæ summa, nam ducatorum 6000 millibus constitisse ei dicitur, confici & euulgari, & deinde ab ipso Pontifice Leone magnificis priuilegiis muniri, singulari commendatione ornari, & quasi mandato quodam omnibus obtrudi oportuit, & quòd ab eis gladius
quasi

quasi cusus & in manus traditus fuit viris piis & doctis ad illa ipsa vulnera corpori pontificio infligenda, quibus obligandis quamuis quotidie occupati sunt, nunquam tamen ea plenè perfectèque sanare poterunt.

Opus Hispanicum Benedictus Arias Montanus vir decem linguarum peritus, sumptu Philippi regis Hispaniarum non ita pridem Antuerpiæ edidit, ita vt cum textu Ebræo Chaldaicam, Græcam, Syriacam & aliquot Latinas veteres & nouas versiones coniunxerit.

Ergo hæ versiones scripturæ inde ab initio tum separatim tum coniunctim sic extiterunt, & adhuc fermè extant: ac versiones Scripturæ similes in alias quasvis linguas fieri possunt.

Sed enim versio omnis Hebræis & Græcis fontibus consentanea esse debet, vt ex eis tanquam riuulis promans originem suam sapiat. Versio omnis hîc iterum duplex: alia simplicior & astrictior, alia liberior & solutior. Versio astrictior, cùm videlicet à verbis nihil receditur, sed verbum verbo redditur: In qua obseruandum quantum fieri potest, vt oratio sit pura propria & perspicua, ne res optimæ verbis pessimis non tam explicentur, quàm implicentur & inuoluantur. Talis ferè est versio Syriaca, item Latina Pagnini, Munsteri, Tremellij & Iunij, Erasmi, Beze & aliorum, qui in hoc genere laborarunt. Sunt enim, in Hebræa præsertim lingua, vnius thematis seu radicis variæ significationes: sunt & cuique interpreti sui oculi, vt videat quæ alios prætereunt: nec similem in rebus olfaciendis nasum habent omnes & iudicium, vt neque omnes eandem viam capeffunt iisdem pedibus, sed quibusdam datur *ὄρσοπρόδειν*, cum alij titubant & claudicant. Versio liberior & solutior est, in qua sæpè sensus magis exprimitur quàm verba, & ornatus atque, elegãtia sermonis adhibetur. Nam crux Christi nō omnino asper-

nantur

natur cultū orationis, nec rhetorum curam aut pigmenta refugit, sed habet in loco simplicem quandam & diuinam ac natiuam eloquētiā, quæ citra sensus detrimentum sese offert. Talis est ferè Paraphrasis Chaldaica, & hodie versio Lutheri & aliorum. Nam Paraphrasis Chaldaica ita sensum è sensu traducit, & ita ob curissima quæque exponit, vt quæcunque de Messia dubiè & latenter scripta erant, certa ac clarissima reddiderit, adeo vt eius editio non tam interpretatio quàm glossa & expositio videatur, vt Galatinus scribit. De Lutheri versione ex re præsentis quisque iudicium facere potest. Sed hic cauendum ne libertas ista modum excedat, & in licentiam degeneret, dum nimium sibi permittit, & extra fines & terminos euagatur, affectans flosculos & ornatum ascititium, & delicias orationis venditans, & pigmenta ostentans, cum sententiæ & verba frugalitatem poscunt & simplicitatem: Qualis ferè Castalionis in vertendis libris sacris licentia fuit: qualis item Longolij audacia, qui non satis sano consilio transuersim abreptus Euangelium Ciceronianum conatus est obtrudere, & sacrosanctum verbum Dei ad Ciceronianam eloquentiæ paganitatem reuocare, pro Fide persuasionem, pro Eucharistia & Coena Domini libum, pro Baptismo lotionem, pro Euāgelio nuncium dicens. Enimvero in libris sacris qui quàm proximè ad verba accedit, is proximè ad sensum peruenit: qui recedit à verbis, is à sententia quoque facilè recedit. Et si Apostolos Græcè scribentes non puduit Hebraizare, ne dedignemur Hebraismos & Hellenismos retinere.

Hactenus de interpretatione verborum seu Versione sacra Scriptura: de rerum interpretatione sequitur.

INterpretatio rerum est, cum propositionum sensus verus & genuinus ex ipsamet scriptura pro natiui idiomatis

tis

tis ratione ostenditur, & ad vsus nostros transfertur: vel cum vera Scripturæ sententia ex ipsa scriptura demonstratur. Hac interpretatione omnino opus est in Ecclesia. Nam certum est Scripturæ libros siue in linguis natiuis legantur, siue in linguas notas & familiares vertantur, non ita statim patere, vt qui legit omnia, protinus intelligat. Etsi enim loci multi sunt in Scriptura satis quidem planè & perspicuè expositi, & per se noti, ad quos, vt Augustinus ait, accessus patet doctis & in doctis: tamen multa semper fuerunt difficilia, & obscura quæ legentium intellectum prima fronte fugerent. Quæ difficultas & obscuritas ex rebus ipsis vel ex verbis, id est, ex sententiarum ipsarum natura, vel ex genere sermonis oritur. Ex sententiis ipsis, vel quòd breuius vno loco, vel quòd de rebus sublimibus sublimius, vel quòd de rebus futuris perscriptæ sunt. Ex genere sermonis, quòd sæpe vnius vocis plures sunt significationes, & quòd idiotismi linguæ natiuæ, imprimis Hebrææ, multi sunt, & quidem illis quibus lingua ista non est vernacula, planè insolentes, qui nulla quantumuis docta versione satis exprimi & in alias linguas trāsferri possunt. Quapropter talis interpretatio semper vsitata fuit in Ecclesia, & tales interpretes semper extiterunt, quamuis alij alia interpretis officia studiosius obierunt, & alij plus, alij minus lucis habuerunt. Ac rursus tum ante tum post natum Christum. Ante natum Christum fuerunt Leuitæ & sacerdotes, Pharisei & Scribæ, qui Legem Dei in populo Israëlitico interpretabantur. Post natum Christum plures extiterunt, qui vel viua voce vel scripto libros sacros exposuerunt, tum Iudæi quos Rabinos vocant, tum Christiani. Christiani tum veteres tum recentiores. Veteres, tum Græci tum Latini. Græci, vt Origenes, Basilus, Gregorius, Nyssenus, Chrysostomus, Cyrillus, Oecumenius & alij. Latini, vt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Hilarius,

E larius,



larius, Bernhardus, Lyranus, &c. Recentiores ferè sunt innumeri, imprimis Latini & Germanici: Nam hæc ætas effudit hanc copiam talium interpretum: vt Franciscus Vatablus, Lutherus, Melanchthon, Zvvinglius, Oecolampadius, Caluinus, Beza, Bullingerus, Musculus, Brentius, Aretius, Mercerus, Bucerus, Hyperius, & alij. Facultas interpretandi scripturam est donum Dei. Nam ea quæ sunt Dei nemo nouit nisi Spiritus Dei 1. Cor. 2. ipse habet clauem Davidis, ipse aperit & claudit Apocal. 3. 7. hoc est, ipse sensum Scripturæ referat. Ac donum hoc confert Deus ἐμμέσως vel ἀμέσως. Ἀμέσως, vt cum primo illo nascētis ecclesiæ tempore fidelibus miraculosè & sine ipsorum studio aliquo & industria hanc facultatem donauit 1. Cor. 12. v. 10. 1. Cor. 14. v. 26. ἐμμέσως, vt cum ad hanc facultatem studio & labore adhibitis legitimis administrantibus contendunt & suam opem implorantium conatibus benedicit, & gratiam suam eis largitur: Quales nunc sunt omnes interpretes, postquam plantatis confirmatisque in orbe terrarum ecclesiis donum illud miraculosum interpretandi scripturam sacram iterum cessauit. Quapropter ardèter orandus est Deus vt laboribus & studiis nostris benedicat, & nobis scripturæ veram intelligentiam aperiat, sicut Dauid orauit Psal. 119. Doce me Domine viam tuam, da mihi intellectum vt discam mandata tua: Et Esa. cap. 8. Liga testimonium, obsigna legem tuam in discipulo tuo: Et Christus Ioan. 17. sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas. Cæterum doni illius non est eadem mensura in omnibus, sed certi sunt ac distincti gradus, tum quod Deus dona sua liberè distribuit, vnicuique quantum ipse vult admetiens 1. Cor. 12. v. 11. tum quod alij donum hoc in sese magis exuscitant, & exuscitando incrementum eius capiunt, sicut dicitur Matthæi 25. habenti dabitur & augebitur. Itaque nō pari dexte-

dexteritate omnes scripturam interpretantur siue veteres, siue recentiores interpretes, sed vt Hieronymus ait, in templo Dei offert vnusquisque quod potest, alij aurum, alij argentum, & lapides preciosos, alij pelles & pilos caprarum. &c.

Modus interpretationis talis est, vt scriptura per scripturam exponatur, atque adeò vt ipsa sui sit interpres. Nam scriptura non est priuatae interpretationis 2. Petri cap. 1. v. 20. hoc est, non ex priuato cuiusque sensu & acceptis opinionibus, sed ex eius per quem prodita est perpetuo sensu exponi debet. Vnde Hilarius lib. 2. de Trinitate, Optimus, inquit, lector & interpres est qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius quam importat, & qui refert magis quam affert. Itaque sententia scripturae quaerenda est in ipsa scriptura, nempe vel in natiuis linguis, vel in versionibus maximè consentaneis. Et si autem in scriptura multa per se nota sunt, tamē interpres in planis vt monitor, in obscuris vt ductor esse, & quæ plana sunt magis illustrare, quæ obscura sunt explicare potest, ac debet.

Norma & regula huius interpretationis est fides & charitas: quarum illa in Symbolo Apostolorum, hæc in decalogo exponitur. Vnde Apostolus præcipit vt interpretatio sit analoga fidei Rom. cap. 12. hoc est, cum primis fidei axiomatis & quasi principiis totoque cœlestis doctrinae corpore consentiat.

Interpretatio ista fit bifariam, tum circumstantiarum cōsideratione, tum locorum similium aut oppositorum apta collatione, præsertim si locus obscurior incidat.

In circumstantiarum consideratione spectandum, quis, cui, qua occasione, quo tempore, quo loco, quo modo, quo fine dixerit, quid hoc dictum antecedit, aut consequatur. Nam rectè Hebræi dicunt, qui nō aduertit quod



supra & infra in libris sacris scribitur, is peruertit verba Dei viuentis. Et Hilarius de Trinitate lib. 4. Intelligentia, inquit, dictorum ex causis sumenda est dicendi, & lib. 9. Dictorum intelligentia aut ex præpositis, aut ex consequētibus expectetur. Et Chrysostomus in Psal. 2. Vt absque fundamento, inquit, imbecilla est ædificatio, ita nisi inuento scopo Scriptura est inutilis. Et Augustinus, verba Euangelica, inquit, secum portant expositiones suas.

In locorum similium collatione illud attendendum, an quod vno loco obscurius dicitur, in aliis clarius & apertius dicatur, & loci obscuriores per clariores & planiores explicandi. Nam, vt Tertullianus inquit, oportet secundum plura intelligi pauciora, & ne vnus sermo alia multa subuertat, secundum omnia potius quàm aduersus omnia accipiendus erit. Itaque si loci similes sese offerent, cum hoc suo quem in manibus habet, comparabit interpres, & similitudinem ac conuenientiam ostendet. Collatio illa est tum vocum tum phrasium similium. Vbi linguarum natiuarum, præcipuè Hebrææ cognitio magnum adiumentum afferet. Nam sæpè vnus vocis diuersæ sunt significationes, quas nulla quantumuis felix versio satis exprimere potest: sæpè etiam in nouo & veteri Testamento occurrunt idiotismi linguæ Ebrææ à cæterarum linguarum habitu & consuetudine discrepantes, quos ex linguæ Hebrææ consuetudine iudicare oportet. Itaque significationes vocis *πλοσήμω* considerabit, & quæ præsentis loco conueniat, ostendet, & tropos atque idiotismos linguæ Hebrææ & Græcæ exponet interpres: si quid in versione obscurū fuerit, declarabit, si quid ambiguum distinguet, si quid alienum, aut vitiosum, corriget: aut si hoc linguarum adminiculo destituitur, & alienis potius quàm suis oculis videre cogitur, versione vtetur, quam optimam & fidelissimam esse, & ad veritatē Hebraicam
inve-

in veteri, ad Græcam in nouo Testamento quàm proximè accedere cognouerit, & peritiores de locis obscurioribus consulat. Nam qui primam nauigationem tenere non potest, is contentus sit secunda.

In oppositorum collatione attendendum, vt locus oppositus qui adhibetur clarior sit eo, ad quem adhibetur, & vt hic ex illo illustrari possit. Quod si fit, quasi tenebris pulsus lumen obscuriori loco infertur. Nam opposita iuxta se posita magis elucescunt.

Rursus interpretatio illa fit secundum τὸ ῥηλὸν, vel secundum τὴν διάνοιαν.

Secundum τὸ ῥηλὸν id est, simplicem ac natiuam verborum significationem, si circumstantiæ & fidei analogia patitur.

Secundum διάνοιαν, id est, figuratè, si analogia fidei & totius scripturæ consensus & circumstantiæ non admittunt τὸ ῥηλὸν seu simplicem interpretationem, id est, quando τὸ ῥηλὸν impingit in aliquem articulum fidei, aut in manifestum aliquem scripturæ locum, aut absurditatem in Theologia parit. Nam vt pulchrè scribit Irenæus lib. 4. cap. 63. Ea demum est sana Scripturæ expositio, quæ fit sine periculo, sine blasphemia & secundum Scripturam.

Facta hoc modo interpretatione ex circumstantiarum consideratione & locorum similium collatione, interpretes animaduertent, primum an sint loci in speciem dissimiles (nulli enim re ipsa inter se pugnare possunt) seu dicta, quæ cum præsentis pugnare aut interpretationem suam labefactare videantur, & si inuenerit, enodabit, & cum suo textu quem in manibus habet, conciliabit, atque adeo ἀντιλογίαν seu pugnantiam quæ in speciem apparet, dissoluet: deinde, an hæretici vel alij qui errant, siue veteres siue recentiores ex eo textu fulcimentum erroris sumant aut sumere possint. Et si inuenerit, examen ac refutatio-



nem instituet, vt verus ac genuinus sensus eius textus quē in manibus habet, tanto magis constet, & corruptela omnis subruatur. Hac via qui incedunt, ij verum & genuinum sensum scripturæ tanquam nucleum enucleant, & quasi ad medullam scripturæ pertingunt: qui secus faciunt, corruptelas pariunt. Nam quæcunque interpretatio in scriptura continetur, & cum principiis scripturæ, cum ipsa serie contextus, cum toto doctrinæ cœlestis corpore & secum consentit, ea verâ ac genuina sit, necesse est. Nam scriptura vt est à Spiritu sancto profecta, ita sui similis est, & sibi constat. Quomodo Chrysostomus in Mar. hom. 4. Scripturam dicit esse catenæ similem, quippe quæ tota sibi constat, & in qua omnia inter se aptissimè cohærent. Rursus autem quæcunque interpretatio cum circumstantiis contextus, cum fide & charitate & cum toto corpore doctrinæ cœlestis pugnat, aliena & falsa sit necesse est. Neque enim secum pugnat, aut sibi contradicit Spiritus sanctus. Et qui sic in vno impingit interpres, is telam corruptelarū in scriptura textit. Nam verissimū est, quod idem Irenæus lib. 5. contra hæreses scribit, multa malè interpretari eos oportere, qui vnum non volunt rectè intelligere. Præterea quæcunque interpretatio secum pugnat, ea aliena & falsa esse iterum colligitur. Nam vt verum sibi constat & sui simile est, ita falsum neque vero neque sibi consonat aut consentit. Ergo talis est interpretandæ scripturæ modus, ad quem exigendi omnes interpretes, examinandæ & iudicandæ omnes interpretationes scripturæ, siue veteres siue recentiores, præsertim si inter se dissentiunt, vel ambigæ sunt, aut non satisfaciunt. Nam spiritus Prophetarum Prophetis subiiciuntur, ait Apostolus I. Cor. 14. Et quicumque interpretes hanc viam in interpretando sequuntur, probandi sunt, & imitandi: qui verò ab hac via declinant, reprobandi, & fugiendi vel

saltem

saltem cautè legendi.

Finis atque vsus huiusce interpretationis duplex est: tum vt præsens dictum ad locum communem reuocemus: tum vt locum communem illum rectè applicemus. Loci communes sunt sententiæ seu propositiones generales, ac veluti regulæ seu axiomata, quæ vel expressè in interpretatione continentur, vel ex ea erui & colligi possunt. Expressè continentur, si sententia seu textus quem interpretamur per se est generalis, manifestè affirmans, vel negans. Ac si expressè continentur, satis est notare ad futuram applicationem. Ex interpretatione seu textu exposito erui & extrui possunt multis modis, videlicet argumento causarum, & effectuum, dum ex causis effectus necessarij colliguntur & contrà: vel coniugatorum, dum ex vno coniugatorum de altero nempe ex concreto de abstracto colligitur: vel contrariorum, dum à contrario sensu colligitur: vel comparatorum, nempe parium & imparium, maiorum & minorū: vel distributionis, dum ex singulari exemplo, id est, dicto vel facto, colligitur de specie vel genere affirmatiuè vel negatiuè. Nam approbato vel reprobato singulari exemplo in scriptura res in genere vel approbatur vel reprobatur: Vel aliis denique argumentorum generibus, prout interpretationis & rei propositæ natura feret. Atque vbi sic colligendo inuentus fuerit locus communis, aliis scripturæ testimoniis illustrandus erit. Applicatio locorum istorum communium fit bifariam, vel ad dogmata fidei, vel ad vitam & mores. Ad dogmatum rursus vel confirmationem vel refutationem. Ad confirmationem videlicet verorum dogmatum: ad redargutionem seu refutationem videlicet falsorum & cum scriptura pugnantium. Ad vitæ & morum rursus vel institutionem, vel correctionem in Oeconomia, Ecclesia, & Politia, id est, in quouis vitæ genere.

Ad

Ad institutionem, ut vitæ ac morum sanctitas stabiliatur: ad correctionem, ut vitæ prauitas emēdetur. Vnde Apostolus 2. Timoth. 3. scribit, Totam sacram Scripturam vtilem esse ad doctrinam seu doctrinæ constitutionem, ad redargutionem, ad institutionem & correctionem: per *διδασκαλίαν* intelligens verorum dogmatum confirmationem, & sub institutione comprehendens etiam consolationem, quam ad Rom. cap. 5. v. 4. nominat.

Priora duo, nempe doctrina, & redargutio sunt *θεωρητικά*, id est, mentis & intelligentiæ: reliqua duo *πρακτικά*, id est actionum atque vitæ: illa discernūt veram doctrinam à falsa, hæc actiones pias ab impiis, honestas ab inhonestis, Atque institutio quidem consolatioque pias actiones docet: Correctio verò impias ac prauas carpit & emendare studet: quam interpretationem Scripturæ tropologicam nonnulli vocant. Omnia verò vel publicè Ecclesiæ, vel priuatim cuiusque conscientiæ & necessitati ita accommodanda sunt, ut non tantum doctrinam cœlestem rectè cognoscamus, sed etiam ut cognitioni vita ac mores respondeāt, hoc est, ut non tantum docti, sed etiam pij efficiamur. Atque hîc imprimis operam dabit interpres, ut quod ad præsentem ecclesiæ statum magis pertinet, siue sit doctrinæ, siue redargutionis, siue institutionis, siue correctionis, diligentius euoluat, & pro eius natura plenius & explicatius tractet. Sed enim sunt nonnulli, qui ea quæ ad vitam & mores pertinent, longius extendunt, & interpretationem scripturæ ad alium etiam vsum, à verborum sententia nonnihil quidem remotum, sed tamen interpretationi & rei propositæ, & eius antecedentibus ac consequentibus similem, & ad vitæ institutionem & correctionem comparatum trāsferunt, & secundum fidei analogiam applicant. Cuius rei exēpla in Scriptura & passim in scriptoribus ecclesiasticis occurrunt, ut Deutero. 25. non

non obligabis os boui trituranti, quod Apostolus ad ministros fideliter laborantes allegoricè transfert 1. Cor. cap. 9. Item non sparges in agro diuersum semen Deute. cap. 22. v. 9. Quo nonnulli significari volunt, non esse de vno genere disciplinæ in aliud argumentando traseundū: vel, non miscenda esse diuersa genera scientiarum, nempe Theologiam & Philosophiam. Sic historia de Mose velante faciem suā Exod. cap. 34. de excacatione Iudeorum exponitur 2. Cor. 3. Sic Origenes & Cyrillus præcepta legis ceremonialia prope omnia apud Græcos enarrarunt allegoricè, atque apud Latinos aliquoties idem fecit Augustinus: quòd ex simplici interpretatione, vsus eorum iam nullus apud nos ad vitæ institutionem & correctionem appareret. Verum enimuerò diligenter obseruādum, primum, nec semper nec temere faciendam Allegoriam, sed parcè & sobriè. Est enim in verbis simplicibus semper diuinarum scripturarum sensus augustior, ait Augustinus lib. 1. aduersus Iouinianum, & creber vsus Allegoriarū labefactat Scripturæ autoritatem. Vnde Porphyrius veteres doctores irrisit frequenter Allegoriis vtētes, & Iulianus hoc nomine religionem vniuersam in cōtemptum adducere conatus est, & apud doctos passim malè audit Origenes, quamuis in figurandis Allegoriis minimè durus. Itaque fugiendus est creber Allegoriarum vsus, & iuxta Apostoli præscriptum in dogmatibus, redargutionibus, institutionibus & correctionibus laborandum. Et sicut non decet quemuis & semper fabricare Allegorias: ita non decet quasuis ab aliis fabricatas recipere. Nam ita ferè vsuuenit, vt qui Allegorias crebro cudit, aut cufas ab aliis facilè recipit, facile etiam in errorem labatur, & sæpè peritis fastidium, imperitis periculum aut scandalum, aduersariis risum creet, quia profert quod periti improbant, imperiti & maleuoli contemnūt,

& quo infirmi offenduntur. Deinde obseruandum ne fit longius petita & durius detorta Allegoria, neue extra oleas currat, sed intra certos limites coerceatur. Tertio ne longior sit, sed vt paucis tantum verbis perstringatur potius quàm pertractetur. In quibus omnibus Augustinus cæteris patribus videtur esse felicior. Nam vt parcius sic & dexterius quādo visum est tractat Allegorias. Quarto obseruandum ne ad dogmatum confirmationem Allegoriæ adhibeantur. Nam ex Allegoriis non ducuntur argumentationes necessariae; sed tantum probabiles & verisimiliter suadentes, sicut ait Augustinus in epistola ad Vincentium, & facilè in partem prorsus diuersam trahi possunt. Ac meritò reprehenduntur Priscillianistæ qui vt dogmata sua tuerentur, ea quæ contrà afferebantur, allegoricè explicabant, & explicanda contendebant, teste Augustino de Hæresibus ad Quod vult Deum: Et monachi illi qui similiter turpe suum ocium & alia vitia olim defendebant, teste iterum Augustino in libro de opere monachorum: Et nostra ætate Anabaptistæ, qui eodem modo sua paradoxa præsertim apud imperitos stabilire conantur.

Atque hæc generatim de interpretatione rerum in Scriptura, quæ interpretatio rursus est *ἔγγραφος* vel *ἀγγραφος*, hoc est scripta, vel non scripta, seu scripto vel voce facta, vt veterum & recentiorum Homiliæ & commentaria testantur: nunc de speciebus eius dicemus.

DE INTERPRETATIONE

SCHOLASTICA.

Interpretatio igitur est duplex, alia scholastica, alia ecclesiastica seu popularis: ac similiter interpres alius scholasticus, alius ecclesiasticus: ille professor & doctor: hic eccle-

ecclesiastes, concionator, & minister verbi vulgo dicitur. Scholasticum genus interpretationis est quod intra scholarum parietes in coetu literatorum breuiter & enucleatè tractatur, ad docendum maximè comparatum. Itaque scholasticus interpres seu professor literatos auditores requirit: quibus Scripturam breuiter & enucleatè pro ipsorum captu, adhibito linguarum & Dialecticæ adminiculo resoluet & exponet, & discrepantes interpretationes examinabit: sed in cōfirmatione & redargutione dogmatum magis quàm in institutione vitæ ac morum versabitur. Nam institutionis seu consolationis & correctionis locos strictim tantum indicabit, quos concionator ad captum popularem copiosius tractare debet, vt infra docebitur. Finis interpretationis scholasticæ est docere, hoc est erudire auditores, tum vt intelligant sensum Scripturæ & vsum, imprimis eum qui est in dogmatum confirmatione & refutatione, tum vt ipsi alios rursus docere possint. Itaque hoc ager scholasticus interpres vt cum doceat, tum ad docendum comparet auditores, sepositis iis quæ ad afficiendos animos seu ciendos affectus adhibentur.

Nam doceri hic auditorem decet, affectus autem moueri non equè necessarium videtur: quòd hoc ad Ecclesiasten seu concionatorem magis pertineat.

Scholasticum genus interpretationis rursus cum antequam post natum Christum fuit. Antequam natum Christum, videlicet Leuitarum, qui in scholis suis, imprimis autem Hierosolymæ tanquam in vniuersali schola & Academia legem diuinam interpretabantur. Nam de Prophetis qui extra ordinem scholas instituebant, neque ordinaria docendi via vtebantur nihil attinet hoc loco dicere. Post natum Christum, vt Origenis interdum, Basilij in Hexæmeron, seu 1. cap. Gen. & Psalmos aliquot, Hieronymi in Prophetas, & epistolas aliquot Pauli, Augustini in quosdam Psal.

Ambrosij in epistolas Pauli, Lyrani in omnes Scripturæ libros: Et hodie Melanchtonis ad Rom. ad Timo. ad Colof. in Euangelium Iohannis, in Daniele, Caluini in libros Mosis, in Psalmos, in minores Prophetas & in nouum Testamentum: Vatabli in vetus Testamentum, Bezæ in Nouum Testamentum, Hyperij in Esaiam, & aliquot epistolas Pauli, Oecolampadij in Iobum, Daniele &c. Bucerij in Psalmos & alios libros, P. Martyris in Gen. in lib. Iud. in lib. Sam. & Reg. in Epist. ad Rom. Cor. &c. Quorum alij simpliciter sensum Scripturæ exposuerunt, alij præter hoc etiam locos communes notarunt, & vsum Scripturæ secundum præceptum Apostoli viua voce vel scripto ostenderunt.

DE INTERPRETATIONE

ECCLESIASTICA.

ECclesiasticum genus interpretationis est quod in templo ad populum prudenter & ornatè tractatur, ad mouendos & flectendos auditorum animos comparatum. Ergo omnium ordinum homines, & omnis generis auditores literatos & illiteratos, senes & iuuenes, mares & foeminas admittit, imò aduocat minister verbi, seu ecclesiastes seu concionator, pro loci, hoc est pagi vel ciuitatis, in qua constitutus est, conditione. Scripturam his exponet prudenter & ornatè: ad quam rem præcepta Rhetorum non nihil adiuuenti afferunt. Etsi enim dicendi facultas est Dei donum in concionatore, tamen iudicio & consilio constat, nec aspernatur sobriam industriam. Prudenter exponet, si sermonem veritatis ritè secabit, vt Apostolus loquitur, hoc est, si iusta methodo auditoribus Scripturam ad captum ipsorum proponet. Ac primum quidem si exordium breuiter appositeque faciet: breuiter
quidem

quidem, si duarum aut trium aut ad summum quatuor periodorum ambitu cludet: appositè, si non à re seu causa ipsa, id est, non ab iis quæ causam de qua agitur confirmant, sed ab iis quæ extra rem & causam sunt, nec tamen ab ea prorsus aliena sunt, sed eam circumstant, aut cum ea aliquo modo similitudinem habēt, ordietur; vt ab occasione, à tempore, à loco, à persona sua, vel auditorum, ab aliqua sententia Scripturæ, ab historia, à transitione, si forte integrum librum interpretatur. Nam exordium non est res ipsa, sed quasi ingressus ad rem atque introitus.

Itaque peccant illi qui exordium ducunt ab iis quæ rem, de qua agitur, confirmant, hoc est à doctrina vel loco communi, qui postea in confirmatione, ex textu prius explicato, extruendus est.

Secūdò, si breuiter de qua re dicturus sit proponet, hoc est, si textum breui commodaque propositione complectetur nulla adhibita distributione, quia adhiberi non potest, vel si plures se propositiones atque partes offerant, vt sæpè etiam in breuissimo textu fieri solet, partitionem aptam adhibebit, eamque pro re nata vel duorum, vel trium, vel ad summum quatuor membrorum, & in tractando partes generales per subdiuisionem, si res ita ferat, in partes speciales & generalibus illis subiectas distribuet. Itaque hic obseruandum, primùm vt ea quæ ratione materiæ coniuncta sunt, coniunctim, quæ verò distincta, distinctè proponamus, & quæ ad vnum commune genus reuocaripossunt, vno veluti complexu comprehēdamus, ita vt propositio vel partitio totum textum ambitu suo complectatur & cum eo quasi reciprocetur, nec vlla vel minima textus particula sit, quæ non in propositione vel partitione contineatur. Nam vbi res suapte natura distinctæ confunduntur, & sub vnam propositionem violenter contorquentur, aut quæ coniunctæ sunt, imperitè

diuelluntur, ibi nec conuenienter quicquam dici, nec status rei ac Scripturæ sententia intelligi satis potest, sed coacta est & inepta omnis oratio. Et ubi vel vna generali propositione vel partitione non comprehenditur textus vniuersus, ibi particularum illarum quæ non comprehenduntur, vel omittenda, vel extra constitutos propositionis partitionisve cancellos peculiariter suscipienda est tractatio. Deinde obseruandum, ne propositionis loco ponantur loci communes, qui postea demum ex textu eruendi, ac proinde naturæ ordine textu sunt posteriores: sed vt textus vel vna propositione comprehensus, vel si res ita ferat, in plures partes distributus ponatur, vt antè dictum est. Itaque peccant illi, qui non textum vel partes textus, sed locos communes ex textu eruendos ad dicendum proponunt. Denique obseruandum, si plura membra vel propositiones aut partes sese offerant, quàm quatuor, eas potissimum deligendas ad exponendum, quæ præcipuam vtilitatem habent, & præsentis loco, tempori & ecclesiæ maximè conueniunt. Nam vitanda semper partium turba, quæ & caliginem offundit rei etiam non obscuræ natura, & officit memoriæ ac docilitati auditorum.

Tertiò prudenter exponet, si in confirmatione & confutatione quam Rhetores vocant, rectè versabitur, hoc est, si de propositionis aut singularum partium diuisionis ac subdivisionis, prout tēporis ratio feret, tum sensu tum vtu secundum doctrinam generalem suprà expositam, sed copiosius & popularius dicet, vt, quod dicit ab omnibus intelligi possit, imprimis quod auditorum animis altius infixum esse cupit. Vbi similitudines adhibebit conuenientes, & ad Scripturæ sententiam populo illustrandam accommodatas. Facit enim apta rerum cœlestium cum terrenis & ignotarum cum notis comparatio, vt res
obscu-

obscuræ & à communi vulgi sensu remotæ, non tantum melius mente intelligantur, sed etiam facilius corde credantur. Itaque similitudinibus sæpè vsus est Christus: similiterque fecit Paulus cum alias tum in doctrina de resurrectione mortuorum explicanda 1. Cor. 15. Et sic etiam Chrystostomus, Basilii, & optimi ac disertissimi quique pastores fecerunt. Sed videndum etiam atque etiam, ne sint vel ineptæ & nimium humiles atque abiectæ, vel nimium frequentes ac continuatæ similitudines. Nam illæ de maiestate verbi Dei detrahunt, hæ vel periculosas allegorias in Scripturam inducunt, vel obscuros & ænigmaticos sensus in animis auditorum pariunt.

De sensu ita dicet, vt tum veram & germanam textus explicationem paraphrasticè & populariter tradat, tum etiam, si fortè opus sit, aut res ita ferat, falsam interpretationem textus, aut ad falsum dogma probandum falsam accommodationem refutet. Hic verò obseruandum, primo, Grammaticum examen vocum, quod in scholis institui solet, à concionatore priuatim quidem instituum, sed coram populo istarum linguarum imperito aut omittendum aut parcè faciendum, ac potius sensum Scripture sic priuatim linguarum adminiculo inuestigatum, simpliciter & perspicuè proponendum esse. Deinde diuersas siue veteres siue recentiores textuum, præsertim obscuriorum, interpretationes, quæ in scholis, vbi linguarum vsus est, interdum commemorari & ex linguis ac circumstantiis textus examinari & diiudicari solent, a concionatore priuatim potius conferendas & examinandas, populo autem ex omnibus vnã saltem atque eam quidem, quam maximè consentaneam in priuato examine deprehendit, exponendam esse, ne imperitis occasio ad fluctuandum & dubitandum de sententia textus, imo de totius Scripture perspicuitate & certitudine ex ista opinionum

nionum varietate præbeatur.

De vsu sic dicet, vt textum cuius sensus iam explicatus est, tum ad doctrinam & redargutionem, tum ad institutionem & correctionem transferat, id est, vt locos communes ex textu illo nascentes tractet, & ad præsentem ecclesiæ statum atque præsentis auditores quasi applicet, & adhortationes ac dehortationes testimoniis Scripturæ, atque exemplis munitas, atque illustratas aspergat. Nam quod animo obiicitur in testimoniis, id quodammodo sensibus demonstratur in exemplis. Ac in prioribus quidem duobus vsibus, qui sunt mentis & intelligentiæ, paulo minus, in duobus autem posterioribus, qui sunt vitæ atque morum, magis quàm Scholasticus interpres versabitur: in illis parcior ac propularior, in his vberior ac copiosior futurus. Itaque peccant illi, qui neglecta interpretatione textus, protinus in locorum cõmunium tractationem irrumpunt, & textum aut nunquam aut obiter quasi aliud agendo attingunt, nec quomodo loci communes in textu fundati sint, & ex eo nascantur, demonstrant. Vnde fit vt non solùm auditores textus intelligentia priuent, sed etiam dum non ostendunt, quomodo loci communes cum textu cohæreant & ex eo fluant, gratiam pariter & fidem apud auditores amittant.

Hic vero obseruandum, primum, locos communes, si multi se offerant, non semper omnes tractandos esse, ne auditores multitudine obruantur, sed habito delectu præcipuos, atque eos imprimis, qui præsentibus auditoribus magis conueniunt, & ad præsentem ecclesiæ statum quadrant, copiosius & plenius adhibitis testimoniis consentaneis confirmandos, & exemplis ac similitudinibus idoneis illustrandos; reliquos in aliud tempus reseruandos esse. Deinde, illorum errorum refutationi potissimum incumbendum esse, à quibus periculum aliquod imminet audi-

auditoribus, nec descendendum ad confutationem illam nisi textus præbeat occasionem, ne captare occasionem & aucupari potius quodam contentionis studio quàm sponte oblatam vsurpare videamur: tum adhibendam moderationem, ne personarum potius quàm errorum odio confutationem instituere videamur: ac proinde aduersariorum sententiam & argumenta bona fide alleganda, & sic allegata ex præsentis textu & similibus, sine sophistica, sine ostentatione insidiosæ subtilitatis, sine ex-candescencia conuellenda & subuertenda esse, vt veritatis amor non cauillandi studium in refutatione appareat. Itaque hic reprehendendi illi sunt, qui in refutando velut œstro perciti exardescunt & debacchantur in suos aduersarios, ita seipsum præcipitant, vt præ ira quid dicant, ipsi ignorent, atque ita impotentiam animi declarent, & fidem apud auditores amittant, vel saltem suspectam faciant: quos decet cursum orationis cohibere freno charitatis, ne nimium concitetur. Nam minus offendit, quamuis acris, reprehensio, si ex charitate profecta intelligatur. Denique examen dialecticum & rationem soluendi vitiosa argumenta priuatim quidem instituendam, populo autem solutionem & refutationem priuatim institutam verbis vulgaribus & maximè notis ac perspicuis proponendam esse. Vbi iterum peccant illi, qui vocabula artium rudi populo ignota vsurpant, & hoc interiectu Latinarum vocum, non solùm cursum orationis interrompunt, & cohærentiam sermonis, id est, antecedentium & consequentium auditoribus intercipiunt: sed etiam peregrinis istis & ignotis vocabulis auditores perturbant, vt de rei intelligentia desperent propemodum, dum vocabulorum istorum vim non assequuntur. Tertio in consolationem maximè incumbendum esse, si periculum imminere, & status ecclesiæ afflictus ita postulare videatur.

G Deni-

Denique in correctione morum ita versandum, primum ut vitia reprehendantur quæ, maximè regnant: deinde ut vitiorum, non personarum odio facta esse reprehensio intelligatur.

Quartò prudenter exponet concionator, si grauius perorabit, id est, si primum tum partes textus, tum locos communes & doctrinas præcipuas in singulis partibus tractatas breuiter repetet, atq; ad eò *ὄνομα* totius concionis tanquam in tabula proponet, ut intelligant & meminerint auditores quid retinere & secum auferre debeant: deinde si cohortationē argumentis causarum, effectuum contrariorum, similium & exemplorum amplificatam addet, ut ostensa rei grauitate percellantur animi auditorum, & ad sequendum vel fugiendum incitentur: aut si omiſſa enumeratione partium & locorum cōmunium, saltem cohortationes ad percellendos animos auditorum instituet, ut quæ dicta sunt, non tantum animis complectantur, sed etiam vitæ actionibus exprimere cupiant.

Denique prudenter exponet concionator, si in tota concione non ex hominum scriptis, sed ex veteri & nouo Testamento tanquam ex thesauro depromet, vetera & noua, sicut Christus loquitur Matt. 13. id est, si testimonia & exempla sacre Scripturæ conuenienter allegabit, atque illis quidem rem propositam confirmabit, his verò quoties opus erit, illustrabit.

*Sic igitur prudenter Scripturam exponet
concionator.*

Nunc de ornatu dicam: quem sine fuce, sine lenociniis, & rebus sacris congruenter, adhibebit concionator. Neque enim doctrina Christi aspernatur cultum orationis, sed habet in loco simplicem quandam suam & diuinam ac natiuam eloquentiã. Nec Apostolus I. Cor. I. omnem

omnem cultum orationis & omnem eloquentiam, sed illam humanā, & fucosam vituperat, ac loquacem Sophistarum & fastuosam sapientiam, quæ à simplicitate crucis Christi abducit. Et Scriptura ipsa quavis simplex, docta tamen, & tropis ac figuris est referta. Itaque ornate exponet concionator.

Ornatus iste in elocutione, & pronunciationis actionisque dignitate consistit.

De elocutione extant Rhetorum præcepta, quæ ad usum suum Ecclesiastes accommodabit. Ergo interdendum utetur tropis, non illis quidem profanis & ridiculis, ut aliqui solent, sed pietati & rerum sacrarum maiestati convenientibus, nec tamen frequenter nimis utetur, ne nauseam auditoribus pariat. Utetur item figuris pro concionis genere, & rei qualitate, & in exhortationibus quidem aut dehortationibus, ac rioribus illis sententiarum figuris, quas Rhetores vocant: in quibus est principatus elocutionis, & præcipua vis ad motus animorum concitandos. In quo eos sibi imitandos proponet, qui huius facultatis laude excellunt, tum veteres, ut Basilium, Athanasium, Chrysostomum, qui vnus inter omnes principatum tenet, Nazianzenum, Augustinum & alios, tum recentiores, quos hodie habere contingit, siue viua voce, siue scriptis concionibus docentes.

Ad quam rem etiam operam dabit, ut vernaculi sermonis facultatem, siue ex lectione purè & eleganter scriptentium, siue ex sermonibus & concionibus purè loquentium sibi comparet: ut eleganter & populariter dicere possit ad populi ædificationem. Etenim nō minor est virtus populariter quàm argutè loqui.

Itaque reprehendendi illi sunt, primum, qui omnem curam abiiciunt puritatis & elegantiae, ac proinde res optimas verbis pessimis non tam explicant quàm impli-

G ij cant,

cant, ita vt ad intelligendas ipsorum conciones alio concionatore tanquam interprete opus esse videatur. Deinde qui vel scurriliter dicunt, vel grande dicendi genus & in cancellariis vsitatum, & à communi vsu nonnihil remotum, vel quale in sermone & literis rabularum esse solet, affectant. Nam & illi contempnuntur ab auditoribus, & hi non intelliguntur à rudioribus: vtrique vero gratiam & fidem apud auditores amittunt. Denique qui vel nimis contrahunt habenas orationis vel nimis laxant.

Pronunciatio seu actio est apta & decora ad eorum quæ dicuntur rationem, vocis gestusque moderatio: in qua veluti vita est concionis. Itaque vocem & gestum ita temperabit concionator, vt quæ initio concionis sedata est pronunciatio & actio, pro rerum natura & qualitate paulatim magis ac magis excitetur, & velut incalescat, imprimis verò in exhortationibus, dehortationibus & increpationibus præsertim seuerioribus, atque vt omnia, id est, dictio & actio & pietatem & grauitatem rerum sacrarum maiestate dignam spirent, & personæ, conditioni & ætati concionatoris, & loco in quo concionatur, conueniant. Neque enim eadem omnes decent, neque eadem omnibus locis conueniunt: quorû vsus non ex priscorum Rhetorum officinis, sed partim ex imitatione illorum qui in hoc genere excellunt, petendus est, partim ex affectu animi sponte fluit. Nam animi affectum fere sequitur similis vocis atque gestuum actio. Itaque tales affectus tum ex diligenti rerum consideratione, tum ex seria poenitentia meditatione & exercitatione in se prius excitabit, & animo concipiet concionator, quales concio potissimum requirit, & quales ipse in auditoribus mouere maximè cupit.

Hic igitur reprehendendi sunt primùm, qui totas conciones eodem sono & tenore pronunciant. Cum enim ipsa

ipsa natura & pietas ipsa iuxta affectus animi mutet vocem, & vultum atque gestus in vulgaribus colloquiis, non videntur ex animo loqui concionatores, qui res vehementer diuersas eadem voce ac vultu pronunciant. Deinde ab altera parte, qui continuis clamoribus & vociferationibus templa complent, & qui conciones veluti cantillant, & qui verba nimium præcipitant, & qui naturalem vocis sonum in alium prorsus diuersum ac fictum inter concionandum mutant.

Talis igitur est interpretationis Ecclesiasticæ modus in prudentiâ & ornatu exponendi.

Finis huius interpretationis est, vt nō tantum doceantur, & intelligant auditores, sed etiam moueantur ad sequendum vel fugiendum.

Ad sequendum quidem, quod verum ac bonum est: ad fugiendum verò quod falsum ac malum, siue in dogmatibus, siue in vitæ actionibus, & quidem tãto concitatius, quanto grauior necessitas ad aliquid faciendum fugiendumve impellit & vrget.

Quare in hoc vnum incumbet concionator, & huc totam concionem referet, vt non solum doceat, sed etiam afficiat auditores, & aculeos in ipsorum animis relinquat, id est, ad timorē Dei, modestiam, iustitiã, in aduersis patientiam &c. eos moueat. In quo feliciter versabitur concionator, si quo modo alios vult afficere, eo ipse prius afficiatur, & quos affectus in alios transfundere cupit, prius in se concitet, & quodam modo videndos alijs exhibeat, hoc est, non solum verbis & sententijs, sed etiam vultu gestuque declaret. Nihil enim ad concitandos pios affectus efficacius est, quam si ipse piè affectus fueris. Nam, vt materia quantumuis facilis ad exardescendum non exardescit, nisi ignis admotus fuerit: ita mens hominis quantumuis ad comprehendendam vim concionatoris parata



accendi non potest, nisi inflammatus ipse ad eam & ardens accesserit. Qui si ipsemet friget, non mirum est auditores nihil flammaram concipere, sed cum ipso frigere. Verum enimvero hic opus est, ne affectus ille pro tempore ascitus & simulatus videatur, sed ut tota vita concionatoris spiret sanctitatem, ne sit aut videatur esse medicus aliorum, ipse vlceribus scātēs. Nam rectè dixit Menander, *Μόνος πείθων ἐστὶ τρόπος τοῦ λέγοντος καὶ μὴ λόγος*, vita dicentis, non oratio persuadet. Et peccus est, inquit ille, quod facit disertos.

Hæc de Ecclesiastico seu concionatorio genere interpretandi.

Sed enim quia more apud omnes receptum est, ut memoriter coram populo dicant concionatores; de scribendis discendisque concionibus breuiter monendum videtur, ut habeant tyrones, quod sequi possint.

Hic verò dissimile est multorum studium & consuetudo dissimilis. Quidam enim nihil prorsus scribunt, sed freti facultate dicendi, ut in mentem venit, ita dicunt. Quorum reprehendenda est siue audacia, siue ignauia. Nam & peccatum est per se graue, non satis meditatum in conspectu non solum Ecclesiæ, sed etiam ipsius Dei & sanctorū Angelorum de rebus omnium grauiissimis velle concionari: nec concio ad ædificationem auditorum comparata esse potest, quæ hoc modo sine accurata meditatione instituitur.

Deinde sunt, qui quamuis temporis & otij satis habēt, tamen officio se defunctos putant, si nudam dispositionem, hoc est, summa capita omissis argumentis testimoniis & exemplis consignent. Qui quamuis prioribus illis sunt meliores, tamen non satisfaciunt suo officio, sed ignauiam in rebus diuinis minimè ferendam ostendunt.

Tertiò sunt, qui non tantum dispositionem concionis,
hoc

hoc est, partes & locos communes, sed etiam partium & locorum communium argumenta, testimonia & exempla diligenter consignant, quorum laudandū est studium. Nam præterquam quod Deo & Ecclesiæ probant fidelitatem suam, etiā hac industria sua donū Dei in se exuscitant, & grauitè ac cordatè, quoties opus est, ad populum verba facere possunt.

Quartò nonnulli conciones quidem integras scribunt, quo nomine etiam laudandi sunt, sed eorum rursus alij sic scriptas conciones de verbo ad verbum ediscunt, & ad cōcepta verba se prorsus astringunt: alij verò res concionum sic scriptarum animo concipiunt, & memoriæ infingunt, sed verborum & phrasium inter dicendum liberum vsum habent. Priorum illorum studium multa incommoda secum trahit. Primum enim magni laboris est non solum res, sed etiam verba singula ediscere. deinde non est cuiusvis hoc præstare, quia pauci sic valent memoria, vt feliciter præstare possint. Tertio periculum est si quis in vno verbo impingat, vt in rebus ipsis hæreat, & seipsum turbet ac confundat in tota concione. Denique nec pronuntiatio a cōuersione excitata esse potest illius, qui omnem vim memoriæ à rebus ad verba conuertit, sed ista seruitute, qua ad cōcepta verba se astringit, multum impeditur. Nam animus intētus in singula verba, vt nō est liber, ita non ciet conuenientes corporis motus. Quamobrem hac via non est vtendum, nisi fortè memoriā quis habeat planè diuinam, qualis tamen paucis contingit. Contraque potius illorum imitandum studium, de quibus secundo & tertio loco dixi, qui videlicet vel integras conciones, vel Synopsis concionum, hoc est, tum dispositionem & seriem partium & locorum communium, tum eorum argumenta, testimonia & exempla consignant, animoque comprehendunt, verborum au-

tem:



tem delectum liberū interdendum habent. Nec enim vlla re magis tum memoria, tum pronuntiatio, actioque adiuuatur & promouetur. Nam animus liber in verbis vt est magis præsens, & ad res ipsas intentus, ita etiam ciet corporis actiones: imò pronuntiatio, actioque talem animi libertatem spōte sequitur. Verum enimvero diligenter hīc obseruandum, vt verborum & phrasium copiam ex diligenti eorum qui benè scribunt & benè dicunt, lectione & auscultatione comparatam in promptu habeamus, vt semper verba suppetant, quibus res animo comprehensas enunciemus.

DE TRACTATIONE
VERBI DEI SCRIPTI, SEU
SCRIPTURAE SACRAE,
METHODICA.

ADhuc de tractatione Scripturae exegetica dictum fuit: nunc de tractatione methodica sequitur.

Tractatio Scripturae Methodica est, cum dogmata seu loci communes qui pro re nata sparsim in Scriptura occurrunt, tanquam in corpus contrahuntur, & iusto ordine legitimoque disponuntur ad Scripturae libros rectius intelligendos. Nam vt Polybius in lectione historiarum iubet *σωμαλομιέν*, & in omnibus aliis artibus & disciplinis initio summa rei methodo comprehensa seu compendium methodicum traditur: ita etiam Theologiae seu doctrinae coelestis velut idea proponi potest, vt sit *χειραγωγία*, id est, manu ductio ad Scripturam rectius intelligendam. Nam loci communes vt ex Scriptura extruuntur,

tur, ita rursus ad Scripturam quasi manu ducunt, vt de omnibus quæ in Scripturæ libris legimus, aut lecta audimus, rectius iudicare, & quæ in Scriptura sparsim occurrunt, prudenter distinguere, & ad sua genera tanquam ad classes reducere, & de ecclesiæ dogmatibus, quoties opus est, rectius differere possimus. Nam & ad intelligendam Scripturam, & ad refutandum falsa dogmata non parum ista Theologiæ quasi idea animo comprehensa conducit. Atque hoc doctores ecclesiæ omnibus temporibus in more habuerunt, vt materiam inuentam quadam inductione, & constitutam disponerent, quemadmodum postea speciatim suis in locis ostendetur. Qui vel copiosè & fusè, vel pressè & argutè locos communes tractant: ac rursus vel sigillatim, vel coniunctim. Sigillatim, vt cum vnum aut alterum locum communem seorsim explicat, vt de Trinitate, vel de Prouidentia Dei, vel de Prædestinatione, vel de Peccato, vel de Libero arbitrio, vel de Baptismo, vel de ceremoniis & id genus aliis. Talis est Augustinus qui sparsim & in variis opusculis præcipuos locos communes fidelissimè exponit. Atque hîc forma veteres vtuntur vel epistolæ, vel dialogi, vel orationis, vel concionis, vel alia.

Cōiunctim, cum videlicet omnes aut certè præcipuos locos tractant, ac rursus vel longius vel breuius.

Longius, vt in iustis locorum communium voluminibus: quales Scripturæ & locorum communium tractationes inde à primitiua ecclesia vsitatas fuisse constat. Nā omnibus retro seculis sancti Patres in eo sibi laborandum existimarunt, vt dogmata Scripturæ sparsim tradita ad suos quæque locos & veluti classes reuocarent, & distinctè comprehenderent. Sic Clemens Alexandrinus circiter annum Christi 180. in celeberrima schola Alexandrina libros octo *σπυριώτων* & totidem *ὑποτυπώσεων* edidit:

H sic



sic Dionysius volumen item *ὑποτυπώσεων* Theologica-
rum publicavit: sic Origenes Clementis, vt nonnulli pu-
tant, discipulus, circiter annum Christi 230 scripsit libros
quatuor *ἐπι ἀρχῶν* hoc est de principiis seu elementis do-
ctrinæ Christianæ, qui etiamnum extant, sed cautè legen-
di sunt, vt huius autoris omnia: sic Augustinus aliquot
huius generis libros edidit, vt de vera religione librum
vnum, item Enchiridion ad Laurentiū, de Ecclesiasticis
dogmatibus librum vnum, de fide ad Petrum Diaconum
librum vnum. Quanquam hi duo postremi libri an Au-
gustini sint, nonnulli dubitant. Sic apud Græcos Dama-
scenus, circiter annum Christi 720. libros 4. de Orthodo-
xa fide scripsit, quem secutus apud Latinos circiter annū
Christi 1220. Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis,
quem magistrum sententiarum vocant, non tam ex Scri-
ptura quàm ex patribus Latinis, præcipueque ex Augu-
stino ea quæ ecclesiæ sui temporis maximè conuenire iu-
dicauit, quatuor libris comprehendit. Horum autem
Doctorum, alij plus, alij minus lucis habuerunt, alij plu-
res, alij pauciores corruptelas admiscuerunt. Nam & sal
interdum fit insipidus. Omnes vero pro præsentis ecclesiæ
statu alios atque alios locos vberius explicarunt. Nostra
ætate, qua Deus immensa bonitate lucem veræ doctrinæ
restituit, quàm multi in hoc genere laborarūt & adhuc la-
borāt? de quibus satius est nihil, quàm vel nimium vel pa-
rū dicere. Sed enim formā disponēdi locos cōmunes, alij
aliam sunt secuti, vel potius ordinem quisque locorum
cōmuniū, vt maximè consentaneum esse iudicauit, ita si-
bi præscripsit: methodum autem accuratiore, quæ axio-
mata, definitiones & diuisiones ex Scriptura aut Scriptu-
ræ congruenter extruit, & à summo genere per media ad
ima descendens suo loco vnumquodque ponit, haud scio
an sint assequuti. Vtinam verò aliquis existeret, cuiusmodi
metho-

methodum Theologiæ qui institueret. Ita enim futurum esset, vt Theologia & breuius traderetur, & facilius ac citius disceretur. Quemadmodum enim in faciendo itinere si cõmodus ductor accesserit, compendio via conficitur: sic in literis cõtus discẽtium methodo plurimũ adiuuatur.

Hæc de longiori Theologiæ, scripturæ sacrę libris comprehensæ, seu locorum communium tractatione: nunc de breuiori dicam, quæ est ferè in Catechesi & accommodata rudioribus continet præcipua capita & ad salutem maximè necessaria, & veluti rudimenta ac prima elementa Theologiæ seu religionis Christianæ. In qua viua voce tradita rursus ab auditoribus exiguntur: Ac proinde Catechesis dicitur, & similiter qui discunt catechesin in Ecclesia, Catechumeni, & qui docent Catechesin, Catechistæ nominantur à κατηχέω, id est sono seu viua voce doceo, & auribus in sono vel resono & vocẽ refero, eò quòd interrogati quæ audiuerunt & acceperunt, eisdem verbis, aut non discrepante sententia, reddunt Catechumeni. Nam hîc doctores velut nutrices infantibus lac tradunt rudimentorum, & fundamentum iaciunt principiorum Christi, & quàm maxima possunt facilitate & gratia quasi cibos præmansos induunt, vt animos rudes initijs Christianæ religionis imbuant, sicut docetur 1. ad Cor. 3. v. 2. & ad Hebr. 5. v. 12. & 13.

Doctrina illa catechetica inde ab Apostolorum temporibus in ecclesia fuit. Nam huius mentionẽ facit Apostolus ad Hebr. cap. 5. v. 12. & 13. & cap. 6. v. 1. & 2. vbi partes Catechismi recenset, & hæc rudimenta religionis Christianæ vocat tum Baptismatum doctrinam, quia νεόφωτοι postquam in his Christianæ doctrinæ principijs instituti essent, baptizabantur, tum doctrinam impositionis manuum, quia pueri Christianorum, in infantia baptizati, vbi iam rudimẽta religionis Christianæ percepissent,

H ij impo.



impositione manuum confirmabantur. Et sic Catechumenorum sæpe mentionem facit Scriptura noui Testamenti, præsertim illorum qui ex Iudæis & gentibus ad ecclesiam Christianã accesserant: vt Luc. 1. 4. *περὶ ὧν καὶ ἠ-
χῆθης*, id est de quibus viua voce institutus es: Act. 18. v. 25. is erat *καὶ ἠχῆμεν*, id est institutus in via Domini, vel audierat prima rudimenta religionis Christianæ. item ad Rom. 2. v. 18. ad Gal. 6. v. 6. I. ad Cor. 14. v. 19. I. ad Cor. 3. v. 2.

Partes Catechesæ hæ commemorantur ad Hebr. 6. poenitentia, fides in Deum, doctrina baptismatum ac impositionis manuum, resurrectio mortuorum, & iudicium æternum. Postea pro ratione temporum, locorum & personarum aliæ atque aliæ factæ sunt. Hodie istæ traduntur, Decalogus, Symbolum Apostolorum, Oratio Dominica, Baptismus & Cœna Domini: quæ tamen ad superiores illas partes referri facilè possunt.

Catechistæ pro captu auditorum Catechesin tradebant, ætati & ingeniis se accommodantes, & statò tempore exigebant. Ac deligebantur ad eam rem viri docti & graues & sanctitate conspicui. Quales Alexandria, Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas & alibi alij fuerunt.

Catechumeni postea etiam dicti sunt auditores, competentes, incipientes & illuminandi, vt ex veterum scriptis liquet. Atque his certus locus quo starent in Ecclesia designatus fuit. Iisdem non licebat interesse omnibus saceris in Ecclesia, sed parti tantum, qua absoluta Diaconi voce exire iuebantur, in primis verò cùm Sacramenta dispensanda essent: quæ missa Catechumenorum dicebatur.

Catechumenorum autem duo sunt genera: vnum illorum qui non sunt nati in Ecclesia, ac proinde nec baptizati, sed ex Iudæis & gentibus recens accedunt ad Christia-

stia-

Christianismum: alterum illorum, qui nati sunt in ecclesia, ac proinde vt membra ecclesiae statim à natiuitate sunt baptizati, vt Christianorum liberi.

Priores illi priusquam baptizarentur olim, instituebantur in Catechesi posteaque baptizabantur, & ad Coenam Domini admittebantur.

Posteriores, cum post Baptismum non nihil adoleuissent, & ad annos discretionis peruenissent, instituebantur item in Catechesi, posteaque fidem professi impositione manuum confirmabantur, è cætu Catechumenorum dimittebantur, & ad Coenam Domini item admittebantur.

DE TRACTATIONE SCRIPTURAE SACRAE, ELEN-

CHTICA, IDEST, DE DISPUTA-
tione seu disputandi ratione.

HActenus de didactica scripturae tractatione in exegesi & methodo Scripturae: nunc de tractatione elenchtica, quae in disputando sita est, atq; omnibus temporibus vsitata fuit. Nam semper extiterunt, qui dogmata Scripturae in dubium vocarent, aut saltè de quibusdam Scripturae locis ambigerent. Itaque vt Nehemiae cap. 4. populus Dei templum aedificaturus, vna manu opus faciebat, altera gladium aduersus hostes strictum tenebat: ita Doctores Ecclesiae oportuit semper ab vna parte docere veritatem, ab altera verò pugnare cum aduersariis & sophismata refutare. Sic Ierem. cap. 1. non tantùm aedificare & plantare, sed etiam euellere & diruere & demoliri iubetur. Sic Apostolus ad Titum cap. 1. episcopum requirit, qui non solùm adhortari per doctrinam, sed etiam τὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, id est, contradicentes conuincere possit.

H iij



possit. Et Prophetas, Christum, Apostolos & doctores Ecclesiæ quoties disputationes aduersus falsos doctores habere: quoties falsa dogmata refutare oportuit? de quibus postea suis in locis speciatim dicetur.

Tractatio illa *ἐλεγκτική* seu disputatio est, cùm de rebus conuenientibus sententiarum collatio ex Scriptura adhibito instrumento Dialectico, instituitur ad indagandam & cognoscendam veritatem.

Ergo de rebus conuenientibus est disputandum, hoc est, de rebus dubiis quidem (nam de certis & vndiquaque notis nihil attinet disputare) sed cognitione dignis, hoc est, quarum cognitio ad rectè sentiendum, vel benè viuendum est utilis, & quas pro temporis ratione & Ecclesiæ statu scire expedit.

Ac proinde à rebus tum sublimibus & arduis, tum tenuibus quæ neque scienti profunt, neq; ignorantibus obsunt, & friuolis atque inutilibus abstinendum. De vitandis sublimibus monet Salomon Prouerb. cap. 25. dicens. Qui scrutatur maiestatem, opprimetur ab ea, & Gregorius Nazianzenus Theologiæ lib. 1. vbi ait, De quibus disputandum & quatenus? De his solùm, ad quæ humani ingenij acies pertingere potest, & quatenus conditio auditoris & facultas potest assequi, ne vt intensior vox auribus, vt alimentum immodicum corpori, vt onera paulò grauiora subeuntibus, vt denique terræ crebriores pluuia nocent, ita sanè & auditores quæstionibus altioribus, & quasi solidioribus degrauati fessiq; damni aliquid accipiant.

De vitandis friuolis & inutilibus monet Apostolus 1. Timo. 1. v. 4. & cap. 6. v. 4. & 2. Timoth. 2. v. 14. 16. & 23. ad Tit cap. 3. versu 9. & Augustinus in Enchiridio cap. 59. dicens, nihil opus esse vt ea cum discrimine definiantur, quæ sine discrimine nesciuntur. De huiusmodi igitur rebus, quæ quadantenus dubiæ sunt, aut indubium vocantur,

tur,

tur, sed tamen vtilitatem habent, nec captum nostrum superant, disputandum est: ac rursus tum cōtrouersis tum alioquin obscuris.

In controuersis ante omnia de statu causæ consi-
tuendum. Nam infeliciter & sine successu disputat, imò nihil
disputat, sed aerem ferit, qui ad statum causæ nō attendit,
quia sine aduersario disputat, & laruam sibi fingit, quam
oppugnet.

Itaque prudenter Tertullianus cū in aciem disputa-
tionis prodeundum esset, solebat summam quæstionis
(sic enim ipse loquitur) certis lineis delineare, & gradum
conferre, ne extra rem ipsam vagari liceret. Et Irenæus in
prologo lib. 4. de disputatione aduersus hæreticos lo-
quens, Eum, inquit, qui velit eos conuertere, oportet dili-
genter scire regulas siue dogmata ipsorum. Nec enim
possibile est vt alios male habentes curet is, qui passionem
ignorat eorum qui male valent.

Videndum igitur, quid & quo sensu affirmet vel neget
aduersarius, vtrum ἀπλῶς an κατὰ τί affirmet vel neget,
& quomodo loquatur, propriè an figuratè. Nam in sen-
su & intelligentia non in sermone & scriptura est hæresis,
ait Hilarius lib. 2. de Trinitate: & cum sensibus incolumes
sumus, cur vocabulis insanimus? ait Vigilus. Certè non
est boni viri, nedum hominis Christiani, aut Doctoris Ec-
clesiæ in re seria alterius verba aut sententiam peruertere,
& cū nouerit pium ac sanum esse sensum, ex verbis in-
commode dictis errorem statuere.

Norma de his rebus omnibus disputandi est sacra Scri-
ptura. Hæc enim est ἀυτόπιστος, vt suprà dictum est: hæc
principia disputandi & materiam suppeditat: hæc supre-
mi iudicis officio fungitur: huius sententia stare omnes
oportet, nec ab hac licet ad alium prouocare: sicut dici-
tur Esaia cap. 8. Ad legem & testimonium Lucae cap. 16.
habent

habent Moysen & Prophetas, Ioan. 5. scrutamini scripturas, Act. 17. Quotidie scrutabantur scripturas, an res ita se haberet.

Hæc per se sufficiens est ad disputandum & ad redarguendum omnes errores & hæreses: ex hac quæstiones omnes & controuersia definiri, & falsæ doctrinæ refutari possunt. Verè enim Scriptura est diues thesaurus rerum spiritualium, ex quo homo doctus ad regnum cælorum depromit vetera & noua, hoc est quicquid ad vsum animarum est necessarium Matth. 13. Est utilis non tantum ad doctrinam sed etiam ad redarguendum 2. Timoth. 3. id est, non tantum testimonia ad docendum suppeditat, sed etiam ad disputandum veluti arma subministrat. Itaque rectè Rabbini de sacris literis dixerunt: in omni loco in quo inuenis pro hæreticis obiectionem, inuenis quoque medicamentum in latere eius.

Hic igitur fundamenta & principia disputandi, hic limites & termini, quos transilire non licet, huc contendendum, hic insistendum. Quapropter errant & grauitèr peccant illi qui fingunt alia principia disputandi, aut qui confundunt genera disciplinarum, Theologiam & Philosophiam, & cum Christo copulant Aristotelem, & ex principiis natura notis, atque ex rationibus philosophicis de Deo & eius voluntate iudicant, & dogmata fidei extruunt, vt Scholastici vel potius Quæstionarij doctores, qui alicubi Philosophiam Aristotelis, in primis eam quæ in libris Metaphysicorum cõtinetur, cum Theologia miscent, quod eos maximo cum fructu fecisse, ille quem subtilem doctorem vulgò appellant Ioannes Scotus in tertium librum sententiarum dist. 24. quæstion. 1. affirmat. Nam quod consortium iustitiæ cum iniustitia, & quæ communicatio luci cum tenebris? 2. Cor. 6.

Intra terminos nostros, inquit Nazianzenus, philosophemur,

neum sit, & quid cum illis consentaneum aut ab illis dissentaneum.

Huius usum in rebus diuinis adeo non improbat Deus, ut etiam seuerissimè requirat. I. Cor. 14. 20. Ne estote pueri intelligentia: sed pueri malitia, intelligentia verò adulti estote. Ad Eph. 4. 14. Ne simus amplius pueri qui fluctuemus & circumferamur quouis vento doctrinae in hominum alea, veteratoria ad insidiosè fallendum versutia. I. Theis. 5. v. 21. Omnia probate, quod bonum est tenete.

Imprimis autem eius studium & usum commendat & præcipit pastoribus Ecclesiae, cum episcopum deligi vult, qui sit idoneus non solum ad docendum & rectè secandum verbum veritatis, sed etiam ad conuincendum contradicentes. I. Timoth. 3. v. 2. 2. Timoth. 2. v. 2. Tit. 1. v. 9. & 11. Imò propter hunc usum præcipuè naturas intelligentes condidit, & normas iudicandi & discernendi verum à falso illis impressit, ut probare possint quid sit acceptum Domino, Ephes. 5. 10.

Huius exempla luculenta in Pauli scriptis passim videre est. Quis enim melius eo disponit, aut quis grauius argumentatur? Denique in tota Scriptura videmus non aliam seruare Spiritum sanctum ratiocinandi, probandi, refutandique formam & rationem, nisi quam Dialectica & sana Philosophia monstrat. Vnde Augustinus & Paulo hanc facultatem tribuit, disputandi h. e. verum à falso discernendi peritum fuisse dicens, & Christum etiam usum esse Dialecticam in disputationibus asseuerat lib. 1. contra Cresconium, & disputationis disciplinam ad omnia genera questionum quae in literis sanctis sunt penetranda & dissoluenda plurimū valere ait lib. 2. de doct. Christ. cap. 21. & de se ipse profitetur, ad dissoluenda haereticorum sophismata artem hanc magnum sibi adiuuētum attulisse,

contra

contra Academicos lib. 3. cap. 13. & de Basilio affirmat Nazianzenus, quòd præter cæteros excelluerit in ratiocinandi & rectè differendi scientia, hoc est dialectica: in laudibus Basilij.

Quapropter errant illi qui Dialecticam, quæ benè differendi rationem tradit, contemnunt, & eliminandam è scholis theologorum existimant: aut qui alios & novos ratiocinandi & argumentandi modos vsurpant contra ordinem à Deo in natura institutum, & in Scriptura vsurpatum, & in Dialectica comprehensum, hoc est, qui Syllogismos quatuor terminorum vsurpant, aut aliis sophismatibus vtuntur, siue ex malitia, vt aliis imponant, siue ex imperitia.

Finis disputationis est indagare, & velut è tenebris in lucem producere & patefacere veritatem. Nam veritas, inquit Nazianzenus, Logicis disputationibus trita in lucem profertur: & vt lapidum conflictu attrituque ignis: ita inuentis argumentis explicatisque verum elicitur & veluti exprimitur. Arque hic vsus & utilitas disputationum sæpè conspicitur in ecclesia. Nam crescentibus disputationibus magis ac magis stabilitur veritas, errores autem debilitantur, cum absurditas eorum & falsitas à peritis demonstratur.

Partes disputationis præsertim in rebus controuersis duæ sunt, ἀναστροφή & κατὰστροφή: cōfirmatio & cōfutatio.

Confirmatio est cum dogma nostrum verum esse cōtra aduersarios defendimus. Confirmatio fit duobus modis, nempe cum dogma nostrum, vel in Scriptura siue iisdem siue idem significantibus verbis expressum: vel ex iis quæ expressa sunt necessario consequi, h. e. bona consequentia exstrui ostendimus. Nam quodcunque dogma verbo Dei seu Scriptura sacra expressè continetur, vel ex ea necessario consequitur, hoc est, bona & necessaria con-

I ij sequen-



sequentia extruitur, & cum omnibus eius partibus consentit, atque adeò cum principiis congruit & principia stabilit, id verum sit necesse est, atque adeò recipiendum est in ecclesia.

In confirmatione igitur dogma nostrum cum principiis Theologicis h. e. cum Scriptura sacra seu testimoniis & exemplis Scripturæ recte intellectis conferendum, & velut ex principiis istis arcessendum. Et si excipiunt aduersarij & testimonia atque exempla ista quibus dogma nostrum stabilimus, in alium sensum cauillando detorqueant, defensio illorum suscipienda est, ita vt verus ac genuinus sensus secundum regulas de interpretatione Scripturæ supra traditas demonstretur, & exceptiones omnes & instantiæ refellendæ.

Confutatio est cum dogma aduersarij falsum esse demonstramus, atque adeò aduersarium falsa tuentem conuincimus. Quæ res planè necessaria est in ecclesia. Quemadmodum enim in itineribus, sic in disciplinis euenit, vt is demùm rectè nosse videatur, qui & doctrinæ ipsius velut itineris rectum callem & diuerticula atque imposturas videt.

Confutatio facilius erit, si confirmatio rectè instituta fuerit, sicut bene percepta luce, tenebræ facilius cognoscuntur.

Cōfutatio item fit duobus modis. Prior est cum ostenditur dogma aduersarij nusquam contineri in Scriptura, hoc est, neque in ea expressum esse, neque ex ea bona & necessaria consequentia deduci posse. Nam quodcunque dogma non continetur in Scriptura, id est, quodcunque dogma neque expressum est in Scriptura, neque bona & necessaria cōsequentia ex ea extrui potest, non est pro vero dogmate Scripturæ, seu articulo fidei habendum.

Et quoniam nullum est dogma tam absurdum, quin è
Scri-

Scriptura probari velit, & multi multa adferunt, hinc subducenda sunt ea fundamenta quæ suis erroribus substerunt, ac tum ad materiam, tum ad formam argumentationum attendendum. Si in forma est vitium, neganda est consequentia. Sin forma argumentationis iusta seruetur, de materia videndum secundum regulas à Dialecticis annotatas, & si falsa est præmissa vel vna vel vtraque, neganda: si ambigua; distinguenda, hoc est, considerandum est cuiusmodi sint siue testimonia siue argumenta, quibus vtuntur aduersarij, vtrum cum principiis congruant & verè probent, an verò ad propositum dogma probandum detorqueantur, atque adeò principium petant, h. e. nihil probent: Et simul elidendæ & refellendæ exceptiones & instantiæ quibus responsiones nostras conuellere conantur, vt appareat eos principium petere, hoc est, fundamentum nitique aut magis incerto quàm est illud, de quo quæritur. Nam id propositum esse debet in hoc genere, vt aduersarius ad principij petitionem adigatur. Atque hic est disputationis in hoc genere finis ac terminus, ad quem adigens alterum vincit, adactus autem vincitur. Posterior confutationis modus est, cum ostenditur dogma aduersarij aut eius consequens cum Scriptura directè vel obliquè, hoc est, cum expressis Scriptura, seu expressis Scripturæ testimoniis, vel eorum consequentibus necessariis pugnare, atque adeò principia, ex quibus disputandum est, conuellere & destruere seu negare. Nam quodcunque dogma cum Scriptura siue directè siue obliquè; hoc est, vel cum expressis Scripturæ testimoniis, vel cum eorum consequentibus necessariis pugnat, id falsum sit necesse est, ac proinde reiiciendum est ex ecclesia. Itaque hinc demonstrandum est, cum quibus Scripturæ testimoniis & quomodo aduersarij dogma pugnet, & exceptiones omnes seu elusiones atque instantiæ quibus hanc no-



stram demonstrationem, hoc est, vel testimonia Scripturæ vel argumenta ex Scriptura petita labefactare conantur, dissoluendæ: atque id omnino agendum ut aduersarius ad principiorum negationem seu destructionem adigatur. Hic enim est omnis disputationis in hoc genere finis ac terminus, ad quem adigens alterum vincit, adactus vincitur.

Sed enim hîc etiam illud considerari potest, an dogma aduersarij secū pugnet, & à seipso dissentiat. Nam quodcunque dogma sibi repugnat, & à seipso dissentit, & sibi cōtradicit, id futile & falsum sit necesse est. Veritas enim sui similis est, & sibi constat, & verum vero cōsonat: mendacium autem ut multiplex est, ita sui dissimile, & neque vero neque sibi consonat. Itaque hîc demonstranda contradictio est, hoc est, aduersarius adigendus ad repugnantiam, qua sibi ipse contradicat, alibi concedens, quod alibi negat. Hæc de partibus disputationis.

Porro disputatio omnis fit aut viua voce, aut scripto. Disputatio quæ viua voce fit, iterum duplex est: Gymnastica, vel Dogmatica. Gymnastica est, quæ exercendorum studiosorum adolescentium causa instituitur, ut nō solum veram doctrinam intelligant, sed etiam falsam refutare discant. Atque hæc magnam vtilitatem habet ad erudiendam in scholis iuuentutem. Nam ingenia perinde ut ferrum sine vsu rubiginem contrahant, ac rariùs vsu & exercitatione & gloriæ vel ignominie calcaribus velut excitantur, & ad grauissimarum rerum actiones præparantur. Vfus enim non solum promptos, sed etiam prudentes, peritos & dexteros facit.

Disputatio Gymnastica est priuata vel publica.

Priuata in colloquiis familiaribus, & quidem vel præscriptis thesibus, vel sine thesibus, prout fert occasio.

Publica in scholis, & quidē præscriptis certis thesibus de

de materia utili, & de qua inquiri & erui veritatem pro tempore maximè expedit. Etsi de modo scribendarum thesium discrepant eruditi. Alij enim diuersi generis theses velut in vnum fascem constringunt, alij eiusdem generis theses & ad vnum locum communem pertinētes proponunt.

Exercitium ipsum publicæ disputationis (nam priuatum exercitium liberius est, & pro re nata institui potest) inter duas partes agitur, quarū vna proponit theses ad disputandum: estque hīc alius præses, alius respondens: altera siue serio siue assumpta persona aduersarij opponendo theses oppugnat, & argumenta veluti in aciem educit.

In hac palestra *διαλεκτικῶς*, id est, strictim & breuiter argumentandum, similiterque respondendum negando, vel distinguendo: vitandæ excursionēs declamatoriæ: disputare enim non est declamitare: vitanda ab vtraque parte Sophistica; & vt lib. 2. cap. 31. de doctr. Christiana Augustinus monet, rixandi libido, & puerilis ostentatio decipiendi aduersarium. Nam qui sophisticè loquitur, odibilis est, ait Ecclesiasticus cap. 37. & Apostolus etiam *λογομαχίας & βεβήλας κενοφωνίας* vitare iubet 1. Timoth. 1. cap. & 2. Timoth. 2. cap. quippe quæ & sophisticum aliquid præ se ferunt, & suspecta sanis hominibus faciunt ingenia, quæ his delectantur. Cauendi etiam contentiosi & turbulenti clamores, & in longum protractæ altercationes. Nec enim disputatio garrulitas muliebris esse debet, sed amica & placida sententiarum collatio. Et vt sapientes in tranquillo fluuio, quam in impetuoso mari nauigare: sic in placidis disputationibus quam turbulentis altercationibus versari malunt. Nec sine causa dixit ille, nimium altercando amitti veritatem. Quanquam non omnino improbatur feruor & vehementia in dicendo, sed tamen quæ ad causæ, de qua agitur, dignitatem faciat, & cui

& cui nullum sit cum ira commercium. Denique abesse debet ab animis disputantium *δοξομανία* & pertinacia defendendi mordicus, quæ quis semel animo concepit aut proposuit. Nam finis disputationis est & esse debet veritatis inquisitio, cui inuenta & quasi è tenebris eruta acquiescere debemus. Estque hic primus veluti gradus ad excitanda offendicula, hæreses & schismata in ecclesia, conuictum etiam non velle veris aliorum sententiis assentiri.

Totum autem actum disputationis ita moderabitur præses, ut aberrantes in viam reuocet, languentes erigat & stimulet, concitatos quasi freno iniecto compescat, tardos & rudes castiget: item ut obscure proposita illustret, inuoluta explicet, confuse proiecta & malè coherentia in syllogismos cogat, & nodosas quæstiones dissoluat: denique ut respondentem, argumētis quasi vinculis iniectis constrictum expediat atque exsoluat.

Finis huius Gymnasticæ disputationis est, ut non solum, quodnam dogma verum aut falsum sit, tyrones cognoscant, sed etiam verum munire ac tueri, falsum autem refellere, ac proinde vitare & à se atque aliis propulsare discant. Cum enim cernunt adolescentes, quid opponi veræ sententiæ possit, & quomodo ea quæ opponuntur dilui debeant, non solum in agnita veritate firmiter acquiescunt, sed etiam ad eam tuendam & defendendam assuefiunt.

Atque hoc genus disputationis Gymnasticum & umbratile omnibus ferè temporibus in ecclesia vsitatū fuit. Nam apud Iudæos in Synagogis obseruatum fuisse ex historia Christi & Apostolorum discimus Luc. 2. 46. & Act. cap. 13. v. 15. Et olim in ipsis ecclesiis ut prælectiones ita disputationes quoque de rebus sacris religiosè & magna cum reuerentia haberi solitas, ex epistola Augustini 119. quæ ad Ianuarium scripta est, apparet. Postea in scholas
intro-

Introductum est hoc exercitationis genus, atque ibi ha-
ctenus frequentatum fuit, vt munire & tueri vera dogma-
ta & falsa refellere etiam adolefcentes maturè discerent.

Hæc de Gymnastica disputatione. Dogmatica dispu-
tatio est, quæ à doctoribus ipsis dissidentibus & con-
trouertentibus decidendæ controuersiæ causa seriò ha-
betur.

Ac rursus vel in Synodo vel in schola.

In Synodo, vt olim ab Orthodoxis & hæreticis. Sic
enim cū Paulo Samosateno Orthodoxi in Synodo Ephe-
sina, & cum Ario in Nicena disputarunt, vt Eusebius &
Sozomenus scribunt: Et cum Nestorio ter citato rursus
in Ephesina disputassent, si comparere voluisset, vt Eua-
grius testatur lib. 1. cap. 4. hist. Ecclesiast. Quamquam So-
crates affirmat Cyrillum coram cum eo disputasse lib. 7.
cap. 34. Vtinam tandem de hodiernis controuersis idem
fieret, vt in legitima Synodo disputatio à partibus dissi-
dentibus haberetur, & de causa prius cognosceretur quam
damnationes publicæ & publico nomine promulgarètur.

In schola, vt olim à Petro Martyre & Pontificiis in An-
glia de Cœna Domini: Item antè quadriennium in hac
Academia de Cœna Domini & persona Christi.

Disputatio quæ scriptis peragitur & olim fuit & hodie
est frequens & trita admodum: sed præstaret viua voce
corâ disputare, quàm sic scriptationibus velitari. Primum
enim scriptiones à multis perperam fiunt, dum & affectus
in eis regnant, præsertim hodie de persona Christi & de
Cœna Domini, & sæpè extrametas excurritur & à scopo
aberratur. Deinde ita ferè vsu venire solet, vt quæ in ali-
quo doctrinæ genere controuertuntur, per scripta vix re-
uocentur ad iustum & seuerum satis examen, dum vtra-
que pars sic sententiæ suæ capita profert, sic in illis expli-
candis excurrit, vt raro vtrinque concurratur.

K. Cæterum

Cæterum disputationis quæ scripto fit, duo sunt genera, vnum Dialecticum, id est, contractum & breue, alterum Rhetoricum, id est, fufum & copiosum.

Contractum genus est, quo sepositis iis quæ ad commouendos animos adhibentur, detractoque orationis ornatu tanquã veste res ipsas simpliciter explicamus, atque argumenta nuda Dialecticorum nõ Rhetorum more proponimus. Hoc genus disputandi scholastici doctores superiori seculo videntur sibi proposuisse, sed successu minus felici vsurparunt. Hodie à paucis quidem hoc genus frequentatur, sed permagnũ tamen vsum habet, quoties accuratè veritatem disquirimus, quia facit ne verisimilia pro veris sectantes captiosa probabilitate fallamur, & quia quid rectè aut secus dictum sit, & cuiusmodi sint errores & qui fontes & causæ errorũ, quasi digito mōstrat. Imprimis autẽ eius vsus esse potest ad doctores (nam simpliciores hoc genus parum afficit) Ac rursus tum in Confirmatione tum in Confutatione dogmatis.

In confirmatione veri dogmatis, dum sublata orationis copia ipsa veritas & eius fundamenta nudè & simpliciter ob oculos ponuntur, & obiectiones atque exceptiones omnes iuxta Dialecticorum regulas diluuntur.

In confutatione dogmatis aduersarij, dum orationis fucos absterfo, ea quæ falsa sunt deteguntur, & vera falsis opponuntur, vt res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet, sicut Augustinus loquitur, & quam rapidum orationis flumen obruebat, emergat & superet veritas, & quos orationis copia occultabat, detegantur & patefiant, errores.

Rhetoricum genus est, quod latius est fufum & vberiori stylo cõpositum. Hoc genus disputandi veteres, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, Hilarius & alij vt plurimum sunt secuti, & hodie etiam scriptores plerique sequuntur.

Huius

Huius vsus esse potest ad doctos & indoctos. Nam vtroque afficit & mouet. Sed vt iucundum & gratum est omnibus, ita sæpè non est vtile omnibus, imprimis verò simplicioribus. Nam hoc genere aduersarij veritatis sæpè abutuntur, vt sub orationis veste commodius latitent, & cum multa dixerint, vera quoque dixisse videantur. Itaque si ad defendendos errores comparatum est hoc genus, facilè imponit simplicioribus. Quapropter non inutile quidem hîc videretur, si planiori & fusiori tractationi subiiceretur Dialectica & breuis tractatio, & veluti Analysis, quæ in confirmatione nudè & simpliciter proponeret fundamenta veritatis & exceptiones omnes breuiter refutaret, in confutatione autem sophismata & fallacias dissolueret.

Hæc de tractatione Scripturæ pro nostro instituto breuiter explicare volui, quorum vsus deinceps in interpretatione Scripturæ in methodo Theologiæ & in disputationibus publicis & priuatis apparebit.

K ij DE



DE SYNOPSI
THEOLOGICÆ.



OST QVAM de Verbo Dei & eius tractatione superioribus duobus libellis generatim exposui: consequens erat, ut tractationis illius, præsertim verò interpretationis Scholasticæ & Ecclesiasticæ, Methodi Theologia, & disputationum Theologicarum exempla adiungerem. Sed ea alio tempore atque alijs libris persequar. Nunc saltem Synopsin Theologia & breuem delineationem hoc loco adijciendam esse existimaui, partim ut eorum qui iamdiu tale aliquid à me flagitarunt, voluntati aliquo modo satisfacerem, partim ut eorum qui iudicare possunt, iudicia explorarem. Itaque & definitiones hîc omisi, nec diuisiones omnes, sed præcipuas duntaxat posui, ut qui vellent, & legere citius, & iudicare facilius possent. Alio autem tempore, si Deus voluerit, rem omnem adhibitis definitionibus definitionumq; declarationibus & diuisionibus ac subdivisionibus, adhibitis item Scripturæ testimonijs plenius explicatam exhibebo.

SYNO

SYNOPSIS

THEOLOGIAE.



THEOLOGIA seu Verbum Dei est doctrina de rebus diuinis per homines immediate à Deo vocatos hominibus patefacta.

Theologia seu Verbum Dei duplex est: ἀγγραφον καὶ ἔγγραφον, scriptum & non scriptum.

Vtrunque rursus duplex: Propheticum & Apostolicū.

Partes Theologiae seu Verbi Dei duae, vna de Deo absolute, altera de operibus Dei.

In Deo consideranda tum essentia & personae: tum quae ab his pendet, Gloria.

Essentia tum vna, tum summè perfecta.

Perfectio illa essentiae est in attributis: quae sic distingui possunt, vt alia primi, alia secundi generis dicantur.

Personae sunt tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Pater est à seipso, &c.

Gloria Dei duplex: essentialis & personalis: illa essentiae est, haec personarum. Haec de Deo.

II. Opera Dei secundum aeternam praescientiam & consilium Dei nunc in tempore fiunt, ita vt praescientiae decretoque ipsius planè respondeant, id est, vt quae praescita & decreta sunt omnia, actu fiant, & sicut praescita & decreta sunt, ita fiant.

Opera Dei sunt duo: Formatio rerum & formatarum gubernatio, seu Prouidentia Dei.

Formatio illa est tum mundi tanquam domicilij, tum incolarum eius.

Mundi partes duæ tanquam domicilia: Superior & inferior.

Mundi superioris atque domicilij partes item duæ: I. Cœlum illud supremum quod est supra hos aspectabiles Cœlos, & à Paulo tertium Cœlum dicitur. II. aquæ supra hoc Cœlum instar fornicis quasi concameratæ.

Mundi inferioris atque domicilij partes, & veluti regiones item duæ: Aetherea & Elementaris.

Aethereæ regionis partes similiter duæ: Orbes seu Sphæræ, & Stellæ.

Orbes duplices: ἀνασποί & ἐνασποί, hoc est, cum Stellis & sine Stellis.

Orbis ἐνασπος duplex, Errans & Fixus.

Stellæ item duplices, sicuti Orbes: Planetæ seu Errantes & Fixæ.

Stellarum etiam considerandus est tum splendor atque lumen, tum vis atque efficacia.

Elementaris regionis partes duæ: elementa & corpora elementaria, id est, ex elementis composita.

Elementa sunt duplicia: tum crassa & grauia: tum tenuia & leuia.

Corpora elementaria seu composita ex elemētis sunt animata vel inanimata.

Corporum animatorum partes duæ: vna subtilior, quæ anima dicitur, & vitam præstat: altera crassior & in oculos incurrens.

Animæ illius vis duplex, vegetans & sentiens.

Animæ vegetantis facultas seu vis triplex: Nutrix, Auatrix & Procreatrix.

Animæ sentientis facultas & similiter functio duplex: sensus & motus.

Sensus duplex, interior & exterior.

Motus item duplex, internus & externus.

Cor-

Corporum animatorum genera seu species duæ, planta seu stirps, & Animal brutum.

Corpora inanimata sūt perfectè vel imperfectè mixta. Perfectè mixta, vt Metalla & lapides.

Imperfectè mixta, vt Meteora: Quæ rursus tum ignea & aërea, tum aquea.

Hæc de mundo. Incolarum mundi propria est imago Dei: quæ est in sapientia & iustitia, seu in intellectu & voluntate recta: vnde dominatus in alias creaturas existit, & felicitas seu vita beata.

Incolarum mundi accidens est peccatum, seu malum culpæ quod vocant. Nam in solam creaturam rationalem peccatum cadere potest.

Peccati partes duæ: ἀταξία seu ἀνομία; & reatus, id est, obligatio ad pœnam temporariam & æternam, seu malum pœnæ. Prior illa pars materiale, hæc posterior formale peccati in scholis nominatur.

Incolarum mundi duo genera: Angeli & homines.

Angeli duplices: alij Angeli simpliciter, alij Archangeli.

Hominum partes duæ: Corpus & Anima incorporea.

Corporis partes aliæ solidæ seu continentæ, aliæ fluidæ seu contentæ, vt humores & Spiritus.

Animæ facultates tres præcipuè: Intelligens, sentiens, & vegetans.

Hominum tamquam genera duo, sexu distincta: Mas & foemina.

Homines sic sexu discreti ad procreandam sobolem seu ad procreandos homines.

Hæc de generibus rerum formatarum. Porrò Formatio rerum duplex: vna miraculosa, quæ Creatio dicitur: altera naturalis seu ordinaria.

Formatio miraculosa seu creatio rursus est vniuersalis vel particularis.

Forma-

Formatio seu creatio vniuersalis sex dierū spatio facta, est mūdi & incolarū eius, videlicet Angelorū & hominū.

Angelorum quidem omnium simul: hominum verò duorum tantum, videlicet Adami & Eux.

Formatio seu creatio particularis est in miraculis, quæ postea facta sunt, atque etiamnum extra ordinem fiunt.

Formatio naturalis est, tum in transmutatione, tum in concreione & propagatione.

Transmutatio est corporis simplicis, id est, elementi.

Concretio est perfecta vel imperfecta: seu perfectè vel imperfectè mixtorum corporum.

Propagationis duo genera, Germinatio & Generatio, seu procreatio.

Germinatio est plantarum seu stirpium, id est, herbarum & arborum.

Generationis partes tum Conceptio foetus & Conformatio, tum Editio.

Generatio est, tum animalium, tum hominum.

Ex hominum generatione propinquitas sanguinis seu consanguinitas existit.

Quæ rursus discernitur Gradibus & Lineis.

Linea est recta vel obliqua seu transversa.

Recta est Ascendens vel Descendens.

Transuersa est æqualis vel inæqualis.

Hæc de formatione rerum. Gubernationis rerum formatarum seu prouidentia Dei partes duæ: Actio & permissio.

Actio est bonorum quæ sunt & fiunt: in quibus etiam mala poenæ, quæ vocant, numerantur, quia boni moralis rationem habent.

Permissio est malorum, videlicet culpæ, id est, peccatorum à creatura rationali admissorum.

Gubernatio illa seu prouidentia Dei duplex: Tempora-

poraria & æterna.

Gubernatio temporaria iterum duplex: primaria & secundaria.

Primaria est Mundi & incolarum eius.

Mundi, tum Superioris, tum Inferioris.

Mundi superioris gubernatio cuiusmodi sit, à nobis in hoc inferiore mundo adhuc versantibus sciri non potest.

Mundi inferioris, videlicet tum æthereæ illius tum elementaris regionis.

Æthereæ regionis gubernatio hîc est in motu eius circulari: qui rursus duplex: Communis & Proprius.

Communis est, vel naturalis, vel alienus seu ascititius & quasi violentus.

Naturalis est primi mobilis: Quasi violentus est orbium *ἐν ἀστρον*, qui stellas habent.

Proprius est tum octavi orbis stellarum fixarum, tum septem planetarum seu stellarum errantium: Vnde varij positus existunt.

Elementaris regionis gubernatio hîc fit pro dispensatione luminis & efficacitatis stellarum: vnde zonæ diuersæ quinque existunt, &c.

Gubernatio illa elementaris regionis est æqualis vel inæqualis.

Æqualis est in zona frigida & torrida.

Inæqualis est in duabus zonis temperatis.

Estque rursus ordinaria vel extraordinaria, id est, Constans seu Stata, vel inconstans seu instabilis.

Ordinaria seu constans est in vicissitudine illa perpetua tum diei atque noctis artificialis quam vocant, tum temporum quatuor, videlicet Veris, Aestatis, Autumni & Hyemis.

Extraordinaria seu inconstans est duplex: Sensibilis seu manifesta, & occulta seu latens.

L Sensi-

Sensibilis hîc est in Serenitate & Tempestate.

Tempestatas est in meteoris videlicet tum igneis ad aërem exiccandum perpurgandumve, tum aqueis ad humectandam irrigandamque terram, iuuandamque plantarum germinationem.

Occulta seu latēs hîc est in metallis sub terra coquēdis.

Hæc de primaria mundi gubernatione. Primaria Incolarum mundi gubernatio est Angelorum & hominum.

Angelorum gubernatio primaria est ordinaria, vel extraordinaria: illa in hierarchia, hæc in ministerio seu legationibus.

Hominum gubernatio primaria est Oeconomica seu corporalis: vel spiritualis seu sacra.

Gubernatio Oeconomica seu corporalis hic est tum in sustentatione seu victu, tum in coniugio.

Sustentatio illa seu victus est in cibo & potu.

Coniugium hîc est duorum tantū, nempe maris vnus & foemina vnus coniunctio ad sobolem procreandam: vnde affinitas existit.

Coniugium hic duplex: alterum ordinariæ dispositionis, alterum extraordinariæ dispensationis Dei: illud est hominum secundum ordinariam Legem Dei ac sanctionem, hoc verò secundum extraordinariam Dei dispensationem ac concessionem consentientium.

Gubernatio sacra seu spiritualis hic est in sanctione Legis de duabus arboribus, altera vitæ, altera scientiæ boni & mali; & in Sabbathi sanctificatione, hoc est, institutione.

Partes sanctionis illius duæ sunt: Consecratio seu ordinatio illarum arborum ad vsum spirituales; & Mandatum Dei.

Mandati illius partes item duæ: Concessio arboris vitæ, & prohibitio arboris scientiæ boni & mali, cum adiuncta mortis comminatione.

Mors

Mors illa duplex: temporaria & æterna: vel, corporalis & spiritualis.

Porro incolarum mundi sic primario gubernatorum duo genera extitere: vnum eorū, qui in statu suo, hoc est, in integritate perstiterunt: alterum eorum, qui lapsi sunt ac peccarunt.

In statu integritatis perseuerarunt Angeli multi.

Integritate exciderunt & peccarunt tum Angeli item multi, tum homines vniuersi.

Angelorum peccatum est in lapsu voluntario & lapsum secuta corruptione.

Hominum peccatum rursus tum primorum, videlicet Adami & Eux, tum posterorum.

Primorum hominum peccatum item est tum in lapsu voluntario, qui est peccatum actuale, tum in lapsum secuta corruptione.

Itaq; hic præcedit peccatū actuale, sequitur corruptio.

Posterorum hominum peccatum duplex: Originale & Actuale.

Peccatum originale est innata illa *aražia* seu corruptio virium animæ.

Partes eius duæ: Defectus & Inclinatio.

Peccatum actuale est actionum seu motuum *aražia* & corruptio.

Estque internum vel externum.

Internū, in cogitatione & deliberatione, seu electione.

Externum, in dictis & factis.

Vtrunque rursus vel commissionis vel omissionis.

Deinde peccatum actuale est particulare, vel vniuersale, vt peccatum blasphemix seu in Spiritum sanctum.

In peccatis externis numeratur etiam scandalū: Quod committitur in rebus tum necessariis tum adiaphotis, id est, mediis seu differentibus.

ii Necessariis, videlicet vel à natura seu per se honestis, vel à Deo præceptis.

iii Adiaphoris, videlicet pro circumstantiarum ratione licitis vel illicitis.

iv Quod item duplex: aliud datum, aliud acceptum: illud sine iusta causa datur, hoc sine iusta causa accipitur.

IIII Hæc de primaria gubernatione: Secundaria gubernatio est item mundi & incolarum eius.

Secundaria gubernatio mundi, præcipuè inferioris, est tum in maledictione terræ, tum in pristini obsequij animalium erga homines imminutione.

Secundaria gubernatio incolarum mundi est tum Angelorum tum hominum.

Secundaria Angelorum gubernatio, tum integrorum tum corruptorum.

Angelorum integrorum, videlicet in confirmatione tum status pristini, tum ministerij ipsorum.

Angelorum corruptorum tum in eiectione è Coelo, tum in coërcitione ipsorum, seu determinatione potentia ipsorum & veluti circumscriptione.

Secundaria hominum gubernatio est, tum viuorum, tum mortuorum.

Secundaria hominum Viuorum gubernatio est ordinaria vel extraordinaria.

Ordinaria rursus corporalis vel spiritualis.

Corporalis est priuata vel publica.

Priuata est hominum singulorum in poenis lapsum primorum parentum statim secutis:

Quæ Spirituales vel Corporales.

Pœnæ Spirituales in terroribus seu pauoribus conscientia, & in curis atque sollicitudinibus.

Pœnæ Corporales rursus communes vel propriae.

Communes, in eiectione ex paradiso & exclusione ab arbo-

arbo-

arbore vitæ, hoc est, in laborum molestia, in distinctione dominiorū, in procliuitate ad morbos & in mortalitate.

Ex distinctione dominiorum tum labor ac studium acquirendi dominij, tum contractus & seruitutes extitēre.

Procliuitas ad morbos multiplices: de quibus scholæ Medicorum.

Mortalitas est in huius vitæ mutatione: quæ vel mors est propriè, vel immutatio mortis instar.

Propriæ, mariti vel vxoris.

Mariti, videlicet in molesto labore ad victum acquirendum.

Vxoris, in subiectione erga maritum, & in pariendi difficultate.

Hæc de gubernatione singulorum priuata. Gubernatio publica est cœtus hominum.

Ac rursus Oeconomica vel politica.

Gubernatio Oeconomica est in ordine Oeconomico: qui 1. est coniugalis inter maritum & vxorem. 2. patrius inter parentes & liberos. 3. Herilis inter dominum & seruum.

Gubernatio politica est in ordine politico.

Cuius partes duæ: Nam alij qui imperant, alij qui parent.

Cuius species item duæ potissimum, Monarchia & Aristocratia.

Qui rursus duplex: minor vel maior.

Minor est ciuitatis vel regionis. Atque hic de politia Israëlitica & eius regibus dici potest.

Maior est plurium regionum simul: Cuiusmodi politia maiores quatuor celebrantur, videlicet Assyria, Persica, Græca & Romana.

Gubernatio politica item duplex: togata & bellica.

Togata est forensis vel scholastica.

Gubernationis forensis partes duæ: Magistratus & subditi.

Gubernatio forensis duplex, judicialis & extrajudicialis.

Partes iudicij, primum sunt personæ & quæstiones seu causæ, quæ controuertuntur: deinde causæ cognitio, sententiæ dictio & executio.

Gubernatio scholastica est in ordine Scholastico.

Partes ordinis scholastici duæ: præceptores & discipuli.

Scholasticus ordo duplex. 1. Maior vel Minor. 2. Vniuersalis, qui Academia hodie dicitur, vel particularis.

Gubernatio bellica est in ordine bellico.

Partes huius ordinis duæ: Duces & Milites.

Duces sunt superiores vel inferiores.

Hactenus de gubernatione corporali: sequitur de spiritali: cuius duæ partes: Vocatio generis humani & vocari iudicatio.

Vocationis partes item duæ: Euangelium seu patefactio de Messia, & præceptum de poenitentia, cum annexa denunciatione.

Euangelij partes rursus duæ: vna de persona seu in carnatione altera de officio atque statu Messia: vnde phrasæ similes existunt.

Incarnationis partes tum conceptio humanæ naturæ in utero Mariæ virginis, & unio personalis, tum Natiuitas.

Conceptio est in humanæ naturæ seu foetus in utero Mariæ formatione & eiusdem sanctificatione.

Unio personalis humanæ naturæ duplex: immediata & mediata: illa cum persona, hæc cum diuina natura πῦ λόγου: illa respectu personæ λόγος humanam naturam sibi unientis, etiam assumptio dicitur.

Utique facta est tum ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως, id est, incon-

inconfusè & inconuertibiliter, tum *ἀδιαπέτως καὶ ἀχωρί-
τως*, id est, indiuisè & inseparabiliter.

Officium Messiae seu Christi est tum propheticum & sacerdotale, tum regium.

Officium Propheticum est in prædicatione verbi, hoc est legis & Euangelij.

Officij sacerdotalis partes duæ: Satisfactio & intercessio.

Satisfactio est in Legis impletione, & in poenæ pro peccatis generis humani persolutione.

Pœna illa est, tum in passione, tum in morte, sepultura & descensu ad inferos.

Officium regium est in miraculis, in resurrectione à mortuis, in ascensione in Cœlum, & sessione ad dextram Dei.

Status Messiae seu Christi duplex: alter humiliationis alter exaltationis.

Humiliationis certi sunt veluti gradus in passione illa, morte, sepultura, & descensu ad inferos.

Exaltatio seu glorificatio duplex: diuina & humana.

Exaltationis item certi veluti gradus in resurrectione, in mansione quadraginta dierum in his terris, in ascensione in Cœlum, & sessione ad dextram Dei.

Hæc de rebus ipsis, nempe de incarnatione & officio atque statu Messiae seu Christi. Phrasis his rebus respondet: est que duplex, *ἰδιοποιία* & *κοινοποιία* vt Cyrillus loquitur: illa à persona seu incarnatione: hæc ab officio atque statu Christi dependet.

Ἰδιοποιίας duo genera: quorum alterum rectum, alterum obliquum dici potest: illud proprium, hoc figuratum quidam vocant.

Κοινοποιίας genera item duo: alterum proprium alterum figuratum.

Hæc

Hæc de partibus Euangelij. Euangelium porro duplex: Vetus & Nouum: illud est de Messia venturo seu exhibendo: hoc de exhibito.

Hæc de Euangelio: sequitur præceptum de pœnitentia seu conuersione ad Deum.

Pœnitentiæ seu conuersionis partes alij duas esse dicunt, mortificationem & viuificationem: alij tres contritionem, fidem, & nouam obedientiam.

Contritionis partes duæ: agnitio confessioque peccatorum & detestatio.

Agnitio peccatorum est ex Lege, quam moralem vocamus: cuius partes duæ: vna de dilectione Dei seu officiis erga Deum: altera de dilectione proximi, seu officiis erga proximum, & contrariis vitiis atque peccatis.

Fidei partes item duæ: Agnitio Christi & in eum fiducia.

Nouæ obedientiæ partes similiter duæ: vna in dilectione Dei, altera in dilectione proximi: illa in officiis & operibus erga Deum: hæc in officiis & operibus, erga proximum, sicut in decalogo præcipitur.

Inter opera quæ Deo debentur, præcipuè est Oratio: cuius duæ species, petitio & gratiarum actio.

Denunciatio mandato illi de pœnitentia annexa, duplex: videlicet promissio reconciliationis cum Deo seu gratiæ & salutis æternæ, si mandato illi pareant homines vocati, & comminatio mortis æternæ, si non pareant.

Promissio illa gratiæ & reconciliationis cum Deo, in Scriptura foederis nomine appellatur.

In foedere illo mutua obligatio tum Dei ad gratiam, tum hominis ad pœnitentiam vicissim præstandam.

Fœdus illud duplex, Vetus & Nouum.

Hæc de partibus vocationis. Vocatio porro duplex, efficax & inefficax.

Et

Et sic vocatorum genera duo secundum æternam præscientiam & consilium ac decretum Dei: alterum poenitentiam agentium, alterum impoenitentium: quorum illi fideles, hi infideles synecdochicè dicuntur.

Fideles sunt adulti, vel infantes ex illis nati: qui posteriores fideles esse intelliguntur pro captu moduloque suo.

Fidelium multitudo Ecclesia dicitur: quæ est inuisibilis vel visibilis.

Inuisibilis est fidelium tantum: ac sic dicitur, quia soli Deo nota est.

Visibilis est, cui admixti sunt multi impoenitentes seu infideles.

Hæc iterum duplex, Vetus & Noua, seu veteris & noui Testamenti.

Ecclesia veteris Testamenti dupliciter consideratur: ante diluuium, & post diluuium.

Ecclesia ante diluuium, tum vniuersalis tum particularis: illa primum in familia Adami, hæc deinde post quorundam defectionem extitit.

Ecclesia post diluuium, item vniuersalis vel particularis.

Vniuersalis in familia Noëi vsque ad confusionem seu dispersionem Babylonicam.

Particularis post confusionem illam & dispersionem extitit per quorundam defectionem.

Particularis rursus mobilis vel fixa.

Illà vsque ad Abrahamum fuit, nulli certæ familiæ aut populo alligata: hæc postea extitit Abrahamo, & posteris eius quasi affixa: Eaque primum peregrinans à terra promissa Chanaan, deinde eam possidens: quæ ecclesia Israelitica dicitur: quæque alias magis, alias minus pura fuit.

Ecclesia noui Test. quæ & Christiana dicitur, primum particularis, deinde vniuersalis: illa ante Christi ascensionem ex Iudæis, hæc post Christi ascensionem ex Iudæis

M & gen.

& gentibus collecta.

Huius posterioris & vniuersalis partes multæ, quæ etiã ecclesiæ nomine appellantur, & à diuersis locis, id est, regionibus, vrbibus, & pagis, in quibus sunt, denominantur.

Hæc posterior seu vniuersalis item duplex: primitiua, & hanc secuta: quæ rursus primum corrupta seu deformata, deinde reformatata ac repurgata.

Corruptio seu deformatio primum minor, deinde maior.

Reformatio item primum minor, deinde maior.

Hæc de ecclesia visibili & eius generibus.

Adminicula huius ecclesiæ visibilis externa, in hoc mundo ad poenitentiam, excitandam exercendamque sunt in ritibus seu ceremoniis externis: quæ duplices, propriæ & communes.

Ceremoniæ propriæ sunt veteris Testamenti, seu ecclesiæ veteris tantum: Ac rursus perpetuæ vel temporariæ.

Ceremoniæ perpetuæ, vt Sacrificium: quod duplex est: *ἱλαστικόν* seu propitiatorium, & *ἰχναστικόν* seu gratiarum actionis.

Sacrificiū propitiatoriū duplex: vniuersale & particulare: illud *διαλλακτικόν*, hoc *ἰσχυρωτικόν* nonnulli vocant.

Vniuersale est omnium peccatorū, vt Holocaustum: quod est maiorum vel minorum animalium.

Particulare est certorum peccatorum: ac rursus est duplex: vnum quod pro peccato, alterum, quod pro delicto dicitur: illud peccati *ἀκροσίας*, & ex errore, hoc peccati *ἐκσπίως*, id est, sponte commissi.

Sacrificium eucharisticum seu gratiarum actionis duplex: simplex & mixtum: illud ex vno, hoc ex diuersis rerum offerendarum generibus constans.

Simplex, vt Sacrificium pacificorum, & Mincha seu Oblatio.

Mixtum,

Mixtum, vt Sacrificium laudis.

Ceremoniae temporariae sunt vetustiores vel recentiores.

Vetustiores, vt de discrimine animalium, & de suffocato ac sanguine.

Recentiores, vt de immundicia & purificatione, legalis Ceremoniae communes sunt vtriusque Testamenti seu ecclesiae, tum in Sacramentis, tum in ieiuniis & votis.

Partes Sacramenti duae: signum & res signata.

Genera Sacramenti duo: vnum initiationis, alterum confirmationis: illud generationis seu regenerationis, hoc nutritionis spiritualis etiam dici potest.

Vtrunque genus rursus duplex: ordinarium & extraordinarium.

Ordinarium item duplex: alterum veteris, alterum noui Testamenti seu foederis.

Sacramenta ordinaria veteris Test. duo: Circumcisio & Agnus Paschalis.

Sacramenta ordinaria noui Test. item duo: Baptismus & Coena Domini.

Sacramenta extraordinaria sunt veteris Testamenti tantum, eaque item duo Sacramentis noui Testamenti respondentia: videlicet Baptismus diluuij, nubis & maris, & Coena Mannae atque aquae ex petra profluentis.

Ieiunium est, vel vnus tantum siue prandij siue coena, vel vtriusque simul.

Vtrunque rursus, vel vnus diei duntaxat, vel plurium.

Vtrunque item priuatum vel publicum.

Votum dupliciter concipitur, vel absolutè seu simpliciter, vel conditionaliter.

Votum item duplex: temporarium vel perpetuum.

Hac de adminiculis ecclesiae visibilis ad excitandam exercendamque poenitentiam comparatis.

M ij Porro

Porro Ecclesia visibilis est in coetu ac conuentu com-
muni seu populari, vel speciali seu selectiori.

Conuentus coetusque popularis duplex: veteris & no-
ui Testamenti.

Conuentus popularis veteris Testamenti aliter ante
Mosen, aliter postea fuit.

Ante Mosen ordinariè die Sabbathi, sed loco pro re
nata sese offerente, vel loco pro conditione ecclesiæ tunc
variante.

Postea tum de loco, tum de tempore peculiariter san-
ctum est: ac locus fuit tum in Tabernaculo & Templo,
tum in Synagoga.

Tabernaculi partes duæ, Communis & Sancta.
Communis, vt atrium.

Sancta iterum duplex, videlicet, Sanctum & Sanctum
Sanctorum seu adytum: quod vocant: in illo altare &
mensa aurea, in hoc arca fœderis stabat.

Tabernaculum primum mobile fuit, deinde quasi fi-
xum Hierosolymæ in monte Sion.

Templum ad imitationem Tabernaculi Hierosoly-
mæ factum est.

Templum duplex: primum & secundum: illud à Salo-
mone, hoc à Iudæis ex captiuitate Babylonica reuersis
ædificatum.

Synagogæ tum Hierosolymæ, tum extra Hierosoly-
mam extiterunt.

Tempus fuit tum vetus illud Sabbathi, tum nouum:
atque hoc rursus tum menstruum, tum anniuersarium.

Menstruum, vt Neomeniæ, hoc est Calendæ.

Anniuersarium, videlicet festum Paschatos, festum
hebdomadarū seu Pentecoste, & festū Tabernaculorum.

Conuentus popularis noui Testamenti est ordinarius,
vel extraordinarius, id est, publicus vel priuatus.

Ordi-

Ordinarius seu publicus primum fit in templo: quod est ciuitatis vel pagi.

Deinde fit tempore festo & solemni, vel profesto, hoc est, non solenni.

Tempus festum est vniuersale vel particulare.

Vniuersale est in omnibus Ecclesiis: ac rursus hebdomadarium, vel anniuersarium.

Hebdomadarium, vt dies Dominica.

Anniuersarium, vt dies natiuitatis Christi, Pascha seu festum resurrectionis Christi, & Pentecoste, seu festum missionis Spiritus sancti.

Particulare, in quibusdam ecclesiis.

Tempus profestum, ad conuentus minus solennes, pro particularium ecclesiarum ordinatione.

Hæc de generibus conuentus popularis. Porro partes eius duæ: ministri seu præpositi, & reliqui fideles promiscuè, qui Laici à quibusdam dicuntur.

Ministri sunt veteris vel nouæ ecclesiæ.

Ministri veteris ecclesiæ sunt Sacerdotes vel Prophetæ: illi mediatè & ordinariè, hi immediatè & extra ordinem vocati.

Sacerdotum officium erat, 1. docere. 2. sacrificare. 3. orare.

Sacerdotes primùm ante Mosen fuerunt primogeniti in qualibet familia: postea in tribu Leui tantum extiterunt, sacerdotio ad hanc tribum alligato.

Sacerdotū Leuiticorum alij superiores, alij inferiores.

Superiores ex familia Aaronis: ac rursus tum summus Pontifex, tum reliqui.

Prophetæ ante diluuium in ecclesiâ rariores fuere: post diluuium primum Abraham, Isaac, Iacob, deinde in ecclesiâ Israëlitica Moses, Samuel, & alij multi extiterunt.

Mosis ministerium hic maximè illustre fuit, tum in

M. iij. mira.

miraculosa educatione populi Israelitici ex Ægypto, & deductione quadraginta annorum per desertum: tum in promulgatione legum: ac rursus tum moralis, tum ceremonialium & forensium seu iudicialium.

Ministri seu præpositi nouæ, hoc est, Christianæ ecclesiæ duplices: primùm extraordinarij, deinde ordinarij: illi temporarij, hi perpetui.

Extraordinarij seu temporarij, rursus immediatè vel mediatè vocati.

Immediatè, vt Ioānes Baptista, Apostoli & Prophetæ. Mediatè, vt Euangelistæ.

Extraordinariorum ministrorum etiam dona extraordinaria fuere, vt discretionis spirituum, linguarum, sanandi ægrotos, edendi miracula &c.

Ordinarij & perpetui ministri rursus sunt, tum pastores seu episcopi & Doctores, tum Presbyteri & Diaconi.

Pastorum officium seu ministerium præcipuè est in concionibus sacris: quæ ita, hoc præsertim tempore, fieri debent, vt tum prudētia tum ornatus decens adhibeatur.

Prudentia, in sensu & vsu textus sacri explicando.

Ornatus, in elocutione & pronunciatione atq; actione.

Hæc de ministris ecclesiæ noui Testamenti. Reliquorum fidelium obedientia & reuerentia erga ministros seu præpositos esse debet.

Hi item vel plures vel pauciores.

Hactenus de conuentu populari atque communi: sequitur de speciali atque selectiori: qui est in Synodo & schola sacra.

Synodus est quæ ad consultandum de rebus ecclesiæ & præcipuis eius membris habetur.

Synodus est veteris vel noui Testamenti.

Synodus veteris Testamenti duplex: generalis & specialis.

Syno-

Synodus noui Testamenti item duplex: alia minor, alia maior.

Minor est in presbyterio & consistorio ecclesiastico.

Maior duplex; particularis & vniuersalis seu Oecumenica.

Hæc de generibus synodi. Porrò potestas Synodi duplex: ordinis & iurisdictionis.

Ordinis, tum in vocandis eligendisque ministris, tum in ferendis legibus ad decorum pertinentibus, seu in ritibus ecclesiasticis instituendis.

Iurisdictionis, in iudiciis ecclesiasticis seu disciplina ecclesiastica.

Ac rursus tum in censura, tum in pœna conueniente.

Censura illa, tum doctrinæ, tum morum.

Pœna illa in correptione seu obiurgatione & excommunicatione.

Excōmunicatio duplex: minor & maior: illa excommunicatio simplex, hæc Anathema dicitur.

Hæc de Synodis: sequitur de scholis sacris, quarum due partes, præceptores & discipuli.

Quæ item sunt veteris vel noui Testamenti.

Scholæ sacræ veteris Testamenti fuere tum collegia prophetarum, tum cœtus Leuitarum.

Scholæ sacræ noui Testamenti fuere quidem olim in Academiis, in monasteriis & in collegiis Canonorum: sed nunc sunt in Academiis potissimum.

Hactenus de priore genere hominū vocatorum, nempe de fidelibus: sequitur de altero genere quod est infidelium: qui vel externa religionis societate & professione ecclesiæ visibili coniuncti, vel ab ea seiuncti, hoc est qui vel in ecclesia visibili sunt, vel extra eam.

Vtrorumque rursus vel simplex est impietas, vel mixta seu multiplex.

Simpli-

Simplicis generis impietas est in Atheismo, Superstitione, Hæresi & Apostasia.

Atheismus iterum est in Epicureismo & Magia.

In epicureismo planè non curatur Deus: in Magia relicto Deo colitur diabolus.

Magia duplex, operatrix & diuinatrix.

Superstitionis item duo genera: idololatria & hypocrisis: in illa pro vero falsus & commentitius Deus, in hac verus Deus, sed falso modo colitur.

Hæreses propria duo: errare in fundamento salutis, & in errore pertinaciter perseuerare.

Hæresis duplex, maior & minor.

Utraque rursus veteris vel noui Testamenti.

Apostasia similiter veteris vel noui Testamenti: atque hæc posterior fit dupliciter, vel retèro adhuc titulo Christiani, vel abiecto cum re etiam titulo.

Mixti generis impietas est, quæ ex simplicibus generibus constat. Atque hoc genere impietatis laborat præcipuè Antichristus, id est, Papa Romanus, qui cum *deus* est & superstitiosus, id est, idololatra & hypocrita: tum hæreticus & apostata, vt demonstrari potest.

Hactenus de vocatione generis humani, & de duobus hominum vocatorum generibus: sequitur de iudicatione generis humani vocati, seu de iudicio, quod Deus in homines vocatos exercet.

Iudicij huius decretum æternum generatim Prædestinatio dicitur.

Iudicium hoc est in iustificatione & condemnatione.

Iustificationis huius decretum æternū speciatim prædestinatio ad vitam æternam, & electio dicitur.

Iustificationis partes duæ: remissio peccatorum, & imputatio iustitiæ Christi.

Iustificatio duplex: veteris & noui Testamenti: illa fit propter

propter Christum adhuc venturum seu exhibendum, hæc propter exhibitum.

Condemnationis decretum æternum speciatim prædestinatio ad mortem æternam, & reprobatio dicitur.

Iudicij illius exercitium in ecclesia visibili, præsertim noui Testamenti, potestas clauium dicitur.

Huius partes duæ: Solutio & ligatio.

Hæc iterum duplex: alia ministerij seu prædicationis verbi, alia disciplinæ ecclesiasticæ.

Prior illa fit verbo, & à singulis ministris verbi exercetur.

Ac rursus est generalis vel specialis, id est, publica vel priuata: in illa generatim omnibus, in hac priuatim certis personis seu singularibus hominibus: ac credentibus quidē gratia, non credentibus verò ira Dei denunciatur.

Posterior hæc fit à Synodo, siue minore, vt presbyterio, siue maiore: ac rursus siue particulari siue vniuersali.

Posterior hæc iterum fit ipso facto seu reapse, videlicet tum excommunicatione, id est, eiectione ex ecclesia, tum receptione in eandem, id est, absolutione à poena.

Receptio illa in ecclesiã fit, cum resipiscunt & satisfaciunt ecclesiæ, qui excommunicati fuerant, vt in minore excommunicatione.

Hæc de ordinaria gubernatione. Extraordinaria gubernatio item duplex: corporalis seu externa, & spiritualis seu interna.

Corporalis hîc est in benedictione & maledictione corporali: vel in beneficiis & poenis seu afflictionibus corporalibus, siue fidelium siue infidelium.

Spiritualis seu interna est in benedictione & maledictione spirituali, seu in beneficiis & poenis spiritualibus.

Poenæ spirituales sunt induratio seu excæcatio, & desperatio.

N Hæc

Hæc de hominum viuorum gubernatione. Mortuorum gubernatio item corporalis vel spiritualis: illa corporis, hæc animæ.

Spiritualis tum fidelium iustificatorum, tum infidelium damnatorum.

Fidelium iustificatorum, in translatione animarum in cœlum, & earundem exhilaratione in cœlo: quæ ecclesia triumphans à quibusdam dicitur.

Infidelium damnatorum, in deiectione animarum in infernum, & earundem excruciatione in inferno.

V. Hactenus de gubernatione rerum formatarum temporaria: sequitur de æterna, quam nunc instare & huic temporariæ gubernationi breui successuram esse ex signis prognosticis, de quibus Scriptura tradit, cognosci atque intelligi potest.

Quæ tum in mundi inferiori domicilio, tum in incolis eius apparent.

Gubernatio illa æterna item erit tum mundi, tum incolarum eius.

Gubernatio mundi videlicet tum in mutatione eius, tum in mutati conseruatione perpetua.

Mutationis illius partes duæ: destructio mundi huius, & renouatio seu instauratio.

Gubernationis incolarum mundi partes tres: Citatio, iudicium vniuersale, & retributio perpetua.

Citatio illa erit, tum Angelorum, tum hominum.

Angelorum, tum bonorum, tum malorum.

Citationis hominum partes duæ: resuscitatio, & ad tribunal Christi aggregatio.

Resuscitatio est vera atque propria, vel huic similis.

Resuscitationis veræ partes duæ restitutio corporum, & viuificatio.

Resuscitatio veræ similis, est in subita immutatione.

Hæc

V

quæ

quæ mortis & resurrectionis instar sit.

Iudicij vniuersalis partes duæ, Causæ cognitio, & sententiæ dictio.

Retributio æterna fiet certis gradibus, seu certa proportionē & mensura.

Ac rursus erit in præmiis & pœnis æternis.

Retributio præmiorum tum Angelis bonis tum hominibus fidelibus iustificatis fiet in cœlo: ac erit in beatitudine & lætitia sempiterna, quam gratiarum actio sine intermissione sequetur.

Beatitudo erit in vita & gloria perfecta.

Retributio pœnarum tum Angelis malis tum hominibus infidelibus fiet in inferno: ac erit tum in miseria & infelicitate, tum in tristitia sempiterna: vnde horror & gemitus fremitusque existet.


Miseria illa erit in cruciatibus & ignominia.

Hactenus de operibus Dei: quorum vltimus finis est gloria seu manifestatio gloriæ Dei in omnem æternitatem.



210

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



153 737

AB 153 737


ULB Halle 3
002 700 247



Sl.







B.I.G.

Farbkarte #13

9

DE
VERBO DEI
ET EIVS TRA-
CTATIONE

LIBRI DVO:

In quibus de Verbo Dei scripto & non scripto, de Scriptu-
ra versionibus, de interpretatione eiusdem Scho-
lastica & Ecclesiastica, de methodo Theo-
logia, & de disputationibus Theo-
logicis agitur.

ADDDITA EST IN FINE METHO-
DICA DELINEATIO VNI-
uersae Theologiae.

AUTORE GEORGIO SOHN
THEOLOGIAE DOCTORE ET
in Academia Heidelbergensi
Professore.



HEIDELBERGAE,
MDCCLXXXVIII.

